PLánetow
werſyi (
ſobie przy
wálecznego
ſtwá. Ná
ná mieyſ
4. cap. 1
mino d
nus de
ẽtrog
vul

J. WR

a Ixda 24/10 97

1897. II

GRAMMATICA
alias
LITERATURA
Ejusq;
Constructiones ad Dogmata
Christiano Politico Moralia,
Revocatæ in gratiam Studiosæ ac Diœcesanæ Iuventutis

PER NOS
STANISLAUM
in Magna Witwica
WITWICKI,
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopum Luceoriensem & Brestensem
Anno Domini M DC LXXXVII.
In Lucem edita.

VARSAVIÆ,
Typis CAROLI FERDINANDI SCHREIBER S. R. M. Typogr.


B J
C







SERENISSIMIS PRINCIPIBUS POLONIÆ
ALEXANDRO
BENEDICTO STANISLAO,
&
CONSTANTINO
PHILIPPO VLADISLAO
JOANNIS III.
POLONIARVM REGIS
FILIIS.

Ætatis ſimul ac omnis felicitatis incrementa.



Vguſti Parentis Veſtri Martiales inter Lituos progeniti & enutriti, Principes mitiores literas

ras, quæ ſe hîc Vobis compendiosè ſiſtunt, favore Veſtro vt complectamini, Paternæ gloriæ Regijs Serenitatibus Veſtris neceſſariò premenda ſvadent veſtigia. Antiqua olim Roma Cæſarem, nos hodie ex vtroq; Regem, ſcilicet ex Marte, & Arte, tam ſincerè veneramur, quàm procul à ſervili aſſentationis neceſſitate ſumus. Nec aliter avitum magni JOANNIS Genitoris Veſtri intuemur Clypeum, quàm armatæ quondam Palladis vmbonem, quē ille Regio in faſtigio ſine Lite-

ris præfulgere nolens, hanc ſuper Polari ſydere eidem induxit Epigraphe: Quo vis, monſtrat iter. Novit nimirum Sapientiſſimus Regum, quam citò tranſit cum ſonitu victorioſa Lituorum memoria, niſi Literarum ſolidetur, & pene immortaliſetur monumentis. A literis Sacra & ſalutifera profluere dogmata. Literis conſervari, quidquid ſæculorum revolutione diſparuit. Per literas vivere, & perennare illorum Regum ac Principũ magnalia, quorũ ne cineres ſuis iam continentur

vrnis.

vrnis. Ergo literas ceu ſemi-
na æternitatis ſereno vultu,
ſtudioſo cultu fas eſt à Regiis
ſerenitatibus Veſtris accepta-
ri; præſertim verò dum à de-
votiſſimis Regiæ Veſtræ
Domui manibus
offeruntur.

Totius

Totius Operis Ratio ad Lectorem.

AMICE LECTOR.



Quæ publicæ Luci litantur opera, eorum ratio ipso in limine reddi solet, iuxta illud Cassiani: Cui bono? Nihil etenim fas est prodire in publicum, nisi eidem aliquod ferat commodum; Cum societas humana ad instar maris inutilia, & à commodo suo heteroclita eijciat corpora. Hinc & nobis explicanda sunt præsentis operis motiua, quæ nos ad confectionem eiusdem, tum & commoda, quæ ad editionem stimularunt. An verò ea, quæ optima concepit intentio, tot Diæcesanis Curis Reiq; publicæ negotiis distracta, partu suo enixa est diligentia, tu beneuolè discernes Lector.

Ab assumpta vastissima, nam ad centum & viginti milliaria germanica pro-

tensæ Diœcesis curâ, à peractis visitatio-
nibus Ecclesiarum, à promulgatis Syno-
daliter non paucis Constitutionibus, ab
editis aliquot libris patriâ dialecto con-
scriptis tam pro Clericali statu, quàm pro
sæcularium conditione seruientibus, vt in
illis ceu in speculo quælibet hominum voca-
tio contemplaretur vultum natiuitatis suæ,
id est, obligationes ex professione statûs,
ex genere vitæ, cogitauimus; quod post
exoluta Pastoralis sollicitudinis prouectio-
ri hominum ætati debita, mansimus ad-
huc debitores Iuuentuti Christianæ, eo ma-
iori obligatione, quod ab ea bene instituta,
reliquæ vitæ pendet ratio: quæ etenim
teneris percepimus annis, eorum plerumq;
tenaciores sumus. Hinc facta, reflexione
super verbis D. Augustini, qui ceu di-
uinæ legis Zelator id vehementer expro-
brat; Quod homines magis erubescant ad
modicam regularum Grammaticæ læsio-
nem, quam ad creberrimam legum di-
uina-

uinarum infractionem & postpositionem. Deprehendimus regulas Grammaticæ in tenera ætate propositas Iuuentuti ceu rasæ Chartæ impressas, occupare primam obseruantiam, primam venerationem, primum obsequium, & quia primum, ideo diuturnum & quasi congenitum; magis enim nascimur educatione, quam generatione. E contra verò Leges Diuinæ & scientia Sanctorum proponitur nobis iam adultioribus, iam præoccupatis opinionibus vulgi, imitatione vitiorum, quæ à nutricibus, à domestico famulitio, imò & ab incautis Parentibus discimus, vel contagione accipimus: Et antequam sanctior Theologia nos informare de Arcanis æternæ Sapientiæ incipiat, iam Poetarum fabulæ, & commenta, iam Rhetorum Gentilium impositiones replent sensus & imaginatiuas facultates in tantum, vt vix supersit locus diuinioribus scientiis, imò prius sunt obliteranda tanto cum labore, & ex-

*tirpanda illa, quibus ſumus imbuti in Iu-
uentute, antequam veri luminis efficia-
mur capaces. Hinc pleriq; non ſapiunt, niſi
magiſtris erroribus, magiſtris periculis,
magiſtris damnis, qui vt ferrea inſtru-
menta in manu ſtatuarij millenis ictibus
formant eos, quos intendunt vultus, &
reliqua partium lineamenta: Ita multi
homines non euadunt ſapientiores, pruden-
tiores, niſi durô tot Calamitatum magiſte-
rio. Hæc ergo reflexio ſuper verbis Hippo-
nenſis Præſulis eam nobis indidit cogitatio-
nem; vt de Grammatica Chriſtiano-Po-
litico Morali cogitaremus. Terna hâc di-
ſciplinâ præoccupando iuueniles mentes,
& imaginatiuas facultates, maximè ve-
rò cum iuxta doctrinam Spiritûs S.* Initi-
um Sapientiæ ſit timor Domini. *Ergo
bene viſum à Grammatica Chriſtiana in-
cipere ſapientiam, quæ daret rudimenta
pietatis. Voluimus ſanctiores regulas re-
ſtringere ad Grammaticales ſine metu pro-*

ſanatio-

ſanationis earundem; Nam ſi Sacris Canonibus nihil decedit, quod ſe in multis accommodent ad tenorem Legum Ciuilium; Ita nec Chriſtianæ Grammaticæ, ſi ad regulas Latinæ ſe demiſerit in gratiam debilioris in Iuuentute capacitatis. Nec vocationem Noſtram Epiſcopalem dishonorabit Grammaticam ſcripſiſſe Chriſtianam, cum Moguntino quondã Præſuli vitio fuerit verſum, quod latinam ignorauerit.

Cum verò imitari Grammaticæ Latinæ regulas conſtituimus in conſcribenda Literatura Chriſtiana, vitio non vertet lector, quod non ſymetricâ Maieſtate, Auguſta Religionis Arcana proponantur Iuuentuti, ſed occaſionaliter. Hoc & Doctor Gentium fecit, dum ex occaſione inſcriptionis, Ignoto Deo, factæ, notum in Iudæa DEVM prædicaret; Et magni in Eccleſia DEI Doctores ad Æthnicas Philoſophiæ regulas, explicationes myſteriorum diuinorum alligarunt.

Stylum voluimus esse medium, teneri ætati faciliorem. Voluimus laxiorem, ne obscurior esset, si fieret breuior.


Videbuntur quidam termini altiores iuuenili captu, quos omnino omisissemus, nisi latinæ Grammaticæ nos monerent exempla, vbi termini vix bene noti Philosophantibus inueniuntur. Crediderimus vt in Grammatica Latinitatis regulæ in ternas classes diuiduntur pro capacitate discentium; ita in nostra Grammatica id fieri posse. Tandem intentio nostra est, varietate rerum Sacrarum Moralium, & Politicarum ita replere imaginatiuam Iuuentutis, & memoratiuam, vt habeat postmodum, quod sensum digerat maturior ætas, videatq; Iuuentus tot imagines sibi impressas, quæ ad vitam bene rectè, & piè ducendam faciunt, & quasi Alphabetum Diuinæ & humanæ scientiæ exhibeant. Demum quid præstantius est? An fabulis Æsopi Metamorphosibus Ouidij, Commen-

tis Ecclogi, obruere & inficere cereas illas mentes? An proficuarum ad salutem & Ciuilem prudentiā rerum imaginibus vel seminibus excolendū iuuenilis ætatis Agrū?

Mens Nostra est, agere cum educatoribus Iuuentutis, vt cum horis matutinis proponunt regulas Grammaticæ Latinæ, & ijs memoriā Iuuentutis onerant, saltim post prandium Nostrā Grammaticam explicent per modum Cathechismi, idq; frequentius repetant, legant & legere faciant: quod facturos confidimus, vbi viderint, quod maior obligatio sit præceptorum & pedagogorum, vt iuuentutem doceant impensius bene, Christianè viuere, quàm correctè latinè loqui; eo attento, quod Latinitas paucos habeat hostes, qui eā impressam memoriæ eliminare velint, cui insuper Lectio curiosa librorum Latinorum & crebra exercitia dant suppetias. E contra verò Grammatica Christiane, Moralitèr, & Politicè bene viuendi, habet tot contradi-

ctiones, tot hostes, tot insidias, pugnant aduersus illam Caro, sanguis, mundus, infernus, vt obliterent. Ergo fortior debet esse impreßio characterum eius, quo sint diuturniores; debent occupare primas cancellatas tabulas. Error in Grammatica Latina commissus mouet cachinnum, audientium excusatur ætate, excusatur bellicâ applicatione, & alijs. Lapsus contra Grammaticam Christianam mouet æternas lachrymas, nō excusatur verbis, sed expiatur pænis, vtinam non æternis. Habes ergo Amice Lector Instituti Nostri rationem; vides quod non scribendi Cacoetes, sed strictißima Cathechisandi obligatio nos obligauit, vt scriberemus. Si vero id fecimus non tam exactè, vt debuimus; vt voluimus, reuoca tibi in memoriam tot nos grauari curis Episcopalibus, tot distrahi obligationibus Senatorijs, Si quo tempore, tum vel maximè hôc, quo Respublica tot Sacri belli innexa fæderibus, bella Domini gerit.

DE LI-



DE LITERIS.

VT literæ, quas cognoſcere diſcis, ſunt prima lineamenta dictionum; Sine his, illas nequaquam percipies; ex his enim omnes & ſingulæ componuntur. Ita noueris neceſſe eſt, DEUM eſſe primam & vltimam literam vniuerſi mundi, & ſine eo rerum creatarum dictiones, vt ſine literis, nec eſſe nec fieri, nec legi, nec proferri poſſunt; Ita, vt quemadmodum ſi dictioni vel verbo literas ſubtraxeris, ad nihilum vtraq; reduces. Idem fiet cum Creatura, ſi illam à cognitione & amore Creatoris ſeparare volueris. Diſce inſuper, quemlibet hominem eſſe tanquam literam, ex qua formantur dictiones, id eſt Nationes, Regna, Prouinciæ, Ciuitates, & familiæ.

Deus prima & vltima litera mundi.

Literæ aliæ ſunt vocales, & ſunt paucæ, quæ per ſe ſubſiſtunt, ſonant, habent propriam vocem, vt a, e, i,

 o, u.

o, u. Aliæ Consonantes, quæ natæ sunt, vt cum vocalibus suis simul loquantur. Ita omnino homines, Alij sunt Principes, Doctores, Legislatores, Magistratus, qui habent propriam vocem à Deo datam, audiuntur, intelliguntur. Alij homines sunt Consonantes literæ, qui debent obedire Superioribus, idem cum illis sonare, sentire, sine illis tacere, id est nihil agere soli. Leges etiam sunt quasi literæ vocales, Vniuersi homines quasi Consonantes: quia à lege Dei nemo hominum dissonare potest, à lege Regni nemo Ciuium. Quemadmodum ergo literæ vocales cum assistentia consonantium formant dictiones, & nisi consentiant, ordinem seruent, ipsæ ad nihil valent, obliterantur, à nemine leguntur, contemnuntur; ita nisi subditi legibus & Principibus seruauerint suam consonantiam, ordinem, nunquam formabunt dictionem auribus Dei & hominum dignam, contemnentur ab vniuersis, distrahentur, & peribunt.

Principes vt vocales propriã habent vocem, subditi vt consonantes sine vocalibus nil agant soli.

Rursus literæ sunt aliæ maiores,

aliæ

aliæ minores. Aliæ auro in marmore, aliæ rubro, aliæ atramento in papyro ſcriptæ, iuxta voluntatem ſcribentis & neceſſitatem diſponentis; ita Deus nos homines ſcripſit in marmore æternæ prouidentiæ, & ſimul in papyro tenui humanæ imbecillitatis alios magnos, alios paruos, alios auro ſceptroque corruſcantes, alios purpuratos, colore nobilitati rubentes, alios atramento ſine claritudine generis; omnes hæ literæ parum æſtimabuntur, ſi character bonæ educationis, rectitudinis, probitatis defuerit: Si non fuerint literæ ſurſum ad DEUM pietate erectæ. Parum illis proderit auro rubroque pingi, ſi irregulares fuerint, ſi ſupinæ iacuerint, ſi ſparſim non in vnione permanſerint. E contra quamuis nigræ ſine ſplendore, quamuis rubræ ſine auro, ſi tamen ſcriptionis ſuæ legem, normam, ordinem, modum ſeruauerint, videbunt omnium hominum in ſe oculos eſſe conuerſos, legentur in præſenti & poſtera ætate.

Diuenti homi num ſtatus in marmore diuinæ pro uidentiæ ſcripti vt literæ.

Diſce ergo Iuuenis à literis literatera-

Concluditur moralis & politica doctrina quid ex literis discendum.

teratus esse iuxta legem & virtutem. Disce à Consonantibus Literis, quàm nihil sint, quàm proferri non valeant, nisi simul vocalibus iunctæ, & teipsum crede debere hanc consonantiam DEO, Patriæ, & Virtuti. DEUM verò, qui te creauit semel, & continuo conseruat, esse tuam vocalem Literam: Scias quam nihil sis, nisi hæc vocalis in te & per te sonuerit laudem suam. Etsi potes proferre & eloqui D sine E, H sine A; tum demum credes te sine DEO viuere, & esse posse. Non sis ergo minus erga factorem tuum gratus, quàm sunt consonantes literæ aduersus vocales, quas sonant, qua nunquam deserunt, sine quibus proferri nolunt nec possunt.

SCHOLION.

VT verbis & factis mentis Nostræ cogitationes explicantur; ita literis verba factaq; hominum solidantur, & quodammodo immortalisantur; vt verba & facta humana, quæ sunt transitoria, per literas fiant stabilia & perennia in tantum, vt literis debeamus, quod sciamus, quomodo

modo DEUS creauit mundum, & principem rerum creatarum hominem eidem præfecit. Literis debemus seriem rerum ab Orbe condito gestarum. Ex literis cognouimus omnes Patriarchas & Prophetas. Sæculorum Heroes, Hercules, Joues, Saturnos, Alexandros Magnos, Pompeios, Julios Cæsares, qui & post mortem viuunt in literis, noscuntur ab hominibus. Et per literas excitamur ad venerationem eorum, & imitationem in tantum, vt quæ sæcula transierunt, qui homines perierunt, quæ Gentes desierunt, per literas renata omnia, & pene immortalitate donata sunt. Hæc cum de literis scienda discis, disce mundum vniuersum esse omnipotentiæ DEI alphabetum, per hunc enim Mens æterna DEUS, & eius sapientia, eius prouidentia, eius bonitas, eius ineffabilitas explicatur. Et vt nos mentem nostram in papirum per literas effundimus; ita DEUS attributa sua ab extra effundit in hisce visibilibus Omnipotentiæ suæ characteribus. Hinc non ineptè antiqui Philosophi mundum hunc DEUM visibilem credebant, tali modo scilicet, qualiter nos in imagine Alexandri Alexandrum, videre dicimur. In sculptura

Literarum vsus & commoda.

Mundus omnipotentiæ Dei alphabetum.

ra Protesilaum, vel in pictura Apellem cognoscere arbitramur; Sic inuisibilia DEI per ea, quæ facta sunt à DEO, cognoscimus. Ergo ex iis, quæ dicta sunt disce; quod quemadmodum literis, quibus explicatur vita Alexandri Magni, non vteris nisi ad cognitionem, ad æstimationem tanti Herois; Sic & hoc mundo creaturisq́, quæ sunt literæ Diuinæ omnipotentiæ & bonitatis explicatrices, nefas est ad aliud vti, scelus grande abuti, nisi ad cognitionem veri DEI vnius & solius, per quem & à quo omnia in tantum, vt nec tu ipse natus es, vt teipsum explices, sed vt DEVM vitæ & conditionis tuæ charactere ceu fidelis litera, verum & bonum significes.

Omnia ad Deũ referenda.

Idem crede in Politicis, Magistratus omnes esse literas explicatiuas mentis Reipublicæ tuæ, Patriæ tuæ. Caue ergo ne dignitatem & Magistratum, quem in Republica geris, ad proprium conuertas vsum, ne dignitatem tibi propter te datam existimes, cum nec tu pro te natus sis. Vel hoc argumento conuinceris, quod necessum est, vt primum alios videas, quam te ipsum, prius omnium ora noscas, quam tuum vultum, quem naturaliter videre nequi-

Magistratus explicãt mentem Reipub.

nequires, nisi reflexi à speculo radii beneficio. Adeo natura Naturans DEUS voluit te ipsum tibi abscondere, vt ægre te possis videre, qui alienis natus es commodis. Hinc disce quantum peccatum est complacentia sui, proprius amor philauphtia, quæ te aliis eripit, vt te tibi mancipet, interq; tot homines, ad quos natus es, vt cum eis viuas, te solitarium non sine probro efficiat. Disces ergo à literis non tibi te, sed toti natum credere mundo. Vides, vt litera nulla sibi ipsi sola manet, semper in societate aliarum, semper in consonantia, sine qua nihil est.

Alienis commodis nati sumus, non nobis.

Literarum Author dicitur fuisse Cadmus Rex Phœniciæ, quas draconis dentibus insculptas dicitur seminasse in terra. Ex tali semine enatos fortes viros, qui mutuis se feriebant & cadebant ictibus. Fabula hæc voluit monstrare abusum literarum, vnde oriuntur, lites, iurgia, & interneciuæ Gentium, Regnorum, ac Familiarum clades, scilicet dum literis ad calumnias, ad fraudes, ad celandam veritatem, ad seminandas discordias, ad exacerbandos animos vtimur. Tum sunt literæ tanquàm dentes draconum, ex quibus

Literarum origo.

pullu-

pullulant odia, arma viriq́ mutuum quærentes interitum. Non dispari periculo nos inuoluit literarum DEI, id est Creaturarum, abusus, cum donis DEI, donis Reipublicæ, ad nostros fastus & passiones abutimur. Et per quæ ad DEVM accedere debeamus, per eadem ab eo alienamur, & proprium quærimus interitum; Cum homini extra DEVM salus non est, neq́ Ciui extra Rempublicam, si eam deseruerit; neq́ priuato homini extra amicitias, si ipsas sacrosanctè non coluerit, si se necessarium Conciuibus suis & vicinis per officia amica non reddiderit. Cyfra est non litera qui solus est, qui sibi est, qui nihil extra se significat: Ideo in volumine societatis humanæ in libro vitæ locus ei non est.

Periculosus Creaturarum abusus.

Disce adhuc ex literis taliter cognoscere DEVM, vt ex iis cognoscis scriptorem: Nemo etenim tibi persuadere poterit, quod literæ à seipsis factæ sint, à seipsis formatæ, à seipsis ordinatæ, à seipsis conseruentur. Vides literam, illico quæris cuius pennâ scripta, cuius sculpello sculpta? & hoc ita certum est, vt crederes hominem insanum, qui contrarium tibi persuadere vellet. Ergo id ipsum de creaturis sentias, quæ

quæ sunt tam expressi Characteres non à seipsis, sed ab omnipotente manu exarati, ordinati à prouidentia æterna, formati à Sapientia, conseruati à bonitate. Quomodo ergo tibi persuadebit impius Athæus huic euidentiæ contrarium, cum te tuus conuincat Intellectus scripturam à scriptore esse, ergo & Creaturam à Creatore. Scriptorem prouidisse de duratione literarum, eo quod illas non in äere, nec in fluxa scripserit vnda, sed in solida tabula, sed in papyro, solidiori ære, auro cedroque. Ita etiam DEVM prouidisse & continuo prouidere de duratione creaturarum, quas continuatâ creatione conseruat. Quo fine, vt quemadmodum literæ manifestant internam mentem scriptoris, ita & creaturæ enarrant gloriam DEI. Quemadmodum videmur nobis videre manum in scriptura, ita etiam videamur videre Creatorem in Creaturis. Quemadmodum legimus & intelligimus mentem & voluntatem Scriptoris in scriptura eius; ita in omni creatura ceu in scriptura legamus & intelligamus voluntatem summi scriptoris DEI, quæ cum alia non sit, nisi vt literæ viuæ sciant & credant, non ideo se esse

Creaturæ ostendunt esse Deum.

 natas,

natas, vt formam illarum, colorem illarum, vt expressionem illarum videant humani oculi, mirentur & contemplentur. Sed vt potius iungantur inuicem certo ordine, certa lege componant dictiones, & tandem explicent Authoris sui mentem. Non dispari modo visibilium & inuisibilium Author DEVS id à literis suis desiderat, vt iungantur ordine vocationis Vocales cum Consonantibus, iungantur vnione Charitatis Christianæ, forment vnitatem Ecclesiæ in fide; vnitatem Ciuilem in gubernatione, vnitatem familiarem in affinitate & consanguinitate, explicentque Authorem suum magnificando opera eius, extollendo bonitatem, exequendo voluntatem.

DE DICTIONE.

V*Ides primo*, Literas necessariò perire, nisi componant verbum, & extra illud esse prorsus inutiles. Ita homines nisi componant Ecclesiam, id est congregationem rectè credentium, omnino perire à salute æterna, non valere amplius, nisi vt in ignem æternum mittantur. Et quemadmodum iuxta Augustinum: Omnis, qui

non

non erat in Arca Noe, peribat: Ita qui non est in Ecclesia S. Catholica Romana, peribit. Esse autem literæ in verbo nihil aliud est, quam tenere ordinem cum cum alijs, quem scribentis dedit manus. Neq; moueri ex sua statione, aut à consensu aliarum idem verbum componentium literarum. Idem omnino est in Ecclesia DEI stare in eo loco, quem vocantis DEI, manus dederat, consentire in omnibus, vt vnitas seruetur verbi. *Extra Ecclesiã non est salus.*

Vides ideò vt verba, quæ legis, ex literis tam Vocalibus quàm Consonantibus suo Ordine & syllabicè iunctis, cõsurgunt; Ita Ecclesia DEI ex fidelibus personis & populis tanquam ex viuis literis exstruitur, vt possit & valeat typum suum Verbum æternum repræsentare, ipsa fit verbum. Vt autem vides in verbo Grammaticali tria hæc. Primum; quod literæ, quæ verbum componunt, ita vniuntur, vt ex vnitate illarum alius sonus oriatur, quam particularis singularum Literarum erat. Secun-

dnm: quod in verbo vocales literæ primarium edunt sonum, consonantes verò nonnisi secundarium eumq; consonum. Tertium: quod literæ verbi in vnitate, quam faciunt, conseruant puritatem verbi. Ita in verbo Ecclesiæ fieri debet, vt non id credatur, quod singulæ literæ ex proprio sensu sonare possunt, sed hoc quod Æcumenica Concilia per vniuersalem consensum operante Spiritu Sancto decreuerunt. Sicut literæ hæ quatuor D, E, V, S. faciunt vnum sonum communem DEUS, & particularem amittunt D, E, V, S; Ita in Ecclesia Dei Sancta vnum sonum fidei, vnum sensum habere debemus, & conseruare, aliàs Ecclesia non esset verbum repræsentatiuum Verbi Æterni. Et quemadmodum in verbo literario penes vocales est primarius sonus; Ita in Verbo Ecclesiæ penes Pastores & Sacerdotium manet opus doctrinæ & prædicationis, cui reliquæ literæ moribus & vitâ consonare tenentur. Et sicut literarum vnitas facit verbum, sic viuarum

Sacræ Scripturæ quis Interpres.

litera-

literarum vnitas consona facit verbum Ecclesiæ, subtrahe vnam literam, iam patitur verbum; Sic patitur Mater Ecclesia, dum nouator aliquis de fidelibus literis eius facit anagramma, & noua literarum transpositione prætendit euertere verbum Ecclesiæ in sensu suo, non tamen euertet, quia Verbum æternum & Veritas ipsa prædixit. Portas inferi non præualituras aduersus Ecclesiam. Turbari ergo potest Ecclesia, sed à petra, quæ est Christus, super quam fundata est, non deturbabitur per vllum vnquam nouatorem, qui omnes ceu furentes aquarum fluctus, ad hanc petram furentia fregere capita. Ecclesia verò sub protectione DEI cæli stat, stabitq; immota.

Nouatores nō possunt euertere Ecclesiam.

Omnis Natio, omne Imperium, Regnum, Prouincia, Ciuitas, imo & Domus, est verbum volumini Orbis terrarum impressum. Homines item in Magistratibus positi, obedientiæ alligati, sunt literæ. Differunt inter se hæc Regnorum & Prouinciarum verba numero literarum, accentibus

voca-

vocalium obtusis, & acutis, iuxta hæc potentia illorum mensuratur. Omnium tamen vis est in eo, vt vocalibus consonent suæ consonantes, ordinemq; seruent. Sic Regibus & Magistratibus subditi, sic filij & filiæ Patribus & Matribus iussa mandata exequendo consonare debent, si cupiunt diu stare in volumine Orbis, & perennare in libro vitæ. Ergo quælibet litera viua, debet ordinem suum tenere, vt verbum Politicum boni regiminis conseruet purum, & lectionē præsentis & futuri sæculi dignum.

Subditorum obligatio.

Obligatio est hæc magna, nam Doctor Gentium per Spiritum S. vocat homines Christianos Literas à Deo descriptas, quibus literis promittit librum vitæ, in quo inscribentur, si bona, si sancta, si pia verba conseruauerint. Ergo apparet, quod literæ nequam non seruantes Ordinem suum & debitum, delebuntur de libro vitæ, & scribentur in terra damnationis æternæ. Non ergo credas te homo ad libitum, & ex conceptu Nostro, qui hanc Gramma-

ticam ſcribimus, te vocari literam, & lege humana non diuina te obligari ad functiones literales, ad conſeruationem verbi Eccleſiæ & verbi Politici, quæ eſt Patria tua. DEUS te literam vocat, ergo es litera, ſi autem litera es, ergo ad verba componenda.

Verbum duplex eſt: Aliud mentis, quod eiusdem naturæ eſt cum mente, & vocatur internum. Aliud externum, quod eſt in ore, quod ex literis componitur & ſcribitur; vtrumq; verbum eſt imago repræſentatiua. Primum verbum internum repræſentat mentem; ſecundum verbum externum, repræſentat imaginem ſeu verbum internum, & ad aures per os, ſiue ad oculos per lectionem tranſmittit. Dum hæc verba diſcis legere, diſcas ex Chriſtiana Grammatica & alia verba. DEUS eſt mens optima, maxima, prima & vltima, ante omnia & poſt omnia. Hæc mens ab æterno generauit Verbum æternum ſibi in natura par, & vocatur imagoPatris,& eſt Internum *Proceſſio Verbi.*

Dei Verbum Filius eius vnigenitus. Et quia verbum mentis non potest audiri, neq; legi, nisi formetur illius imago verbum externum; Ideò Deus Pater volens saluare homines fecit Verbum suum Internum in forma hominis venire in mundum, vt posset ab hominibus & videri & audiri & cognosci. Et hoc est verbum gratiæ, quo Deus locutus ad peccatores. Et hoc est verbum, quod habet duas naturas, Diuinam iuxta quam est Verbum Internum Dei; & humanam iuxta quam est verbum externum. Cum verò veritas in eo consistat, vt verbum externum omnino tale sit, quale est Internum, Id eo Verbum Incarnatum est veritas, quia idem est cum Verbo æterno & coniunctissimum. Nos autem Christiani homines, cum sumus membra Verbi æterni, omnino sumus literæ, & debemus componere verbum Verbi, debemus repræsentare Christum, qui est Verbum Patris, debemus vniri cum Christo, debemus illi assimilari: Alias veritas non erit in nobis,

Incarnatio.

bis, alias perdet nos Deus, si loquemur mendacium, id est, si non repræsentabimus, vt fideles literæ Verbum veritatis.

Disçes & hoc incipiens Lector, quod nos homines in societate viuentes, cum simus literæ, & faciamus verba, debemus cauere, ne in operationibus nostris, in officijs nostris, in conuersatione nostra faciamus mendacium; quia si non viuimus, vt debemus, diuersum verbum à debito nostro componimus. Sic non solum Deo, sed & Reipublicæ nostræ & statui nostro mentimur, & ex filijs Dei, simus filij diaboli, qui est Pater mendacij. Ille enim primus opposuit se æternæ veritati in cælis, & ideo detrusus est vsq; ad barathra, quod fiet & omnibus qui diligunt mendacium. *Mendaces reprehenduntur.*

Ergo studeamus in omnibus Veritati, quod est, dicamus, est: Quod non est, non dicamus est. Cum autem nullum verbum legi potest, nulla imago videri sine lumine: Hinc & Deus Pater cum Filio lumen cla-

ritatis æternæ mittit hominibus Spiritum Sanctum, quo illuminati per fidem legimus verbum æternum, & cognoſcimus illud, & credimus illi. Idem cum S. Eccleſia & in Scholis Spiritum Sanctum inuocamus tanquàm ſolem mentis noſtræ, ſine cuius radio legere veritatem nequaquam poterit homo, ſed quia Principes tenebrarum dæmones aduerſantur lumini, ideo multis & varijs modis clauſos oculos mentis noſtræ tenent, noctis amorem per pulcherrima ſomnia commendant, ne ad lucem iſtam aſpiremus. Veniet tamen vltimus dies, qui excuſſo ſomno temporis & temporis noſtri, diſſipabit ſomnia vanitatum mundanarum, & tum demum fraudes eius vtinam non tardè cognoſcemus.

Veritas à Spiritu Sancto.

Studeamus vt non ſolum ſint verba noſtra vera ſed & facta. Nam & facta ſunt verba repræſentatiua mentis noſtræ. Vnde in Sacris Scripturis frequenter dicitur. *Non faciam verbum iſtud.* Proinde cum videris te trahi ad aliquam conuerſa-

tionem, memineris statim te esse literam, quæ cum cæteris componit verbum Conuersationis, quod verbũ legito, etsi est bonum, maneto, si est malum, fugito; exempli gratia, si litera D vocaretur ad componendam conuersationem Diuinam, vere esset Sancta. Si ad componendam dictionem conuersationis diabolicæ, vere esset maledicta, non ex se, quia est D, sed quia adiungitur talibus literis, quæ vna secum componunt malam dictionem. Sic omnino cum litera tua fiet; erit bona si bonum verbum composueris cum alijs, erit mala, si malum.

Conuersatio mala fugienda est.

Statum & conditionem tuam esse verbum scito, te in hoc verbo literam noscito & caueto, ne aliud verbum componas, nisi quod vocationi tuæ competit, scieris nimirum, quod quotiescunq; litera tua intrauerit in compositionem verbi blasphemi in Deum, iniuriosi in Ecclesiam & proximum, toties gehennæ ignis tuus cum verbo reseruatur typus: Et hæc est peccaminosa illa cõ-

In vocatione perseuerandum.

plici-

plicitas, de qua dictum est: Cum malo malus eris. Vt literæ ita homines ex se post baptismum sunt innocentes, ab originali abluti reatu; Actuales autem non contrahunt culpas, nisi ex complicitate ea, quam incurrunt præstando operam suam componendo verbo blasphemo in DEUM vel in homines.

Appendix de Lectione *Literarum & Dictionum.*

LIteras Alphabeticas legere & colligere necessum est, simul & dictiones: Ergo sciendus est modus legendi non manibus, sed oculis, his enim literas in papyro legis, illis fruga in syluis.

Lumen seu à Sole, seu à lucerna prosiliens ferit chartam, vt pila allisa ad murum, statimq; resilit, usq; ad oculum humanum ferens secum figuram literæ; Et vt resiliens pila fert impressionem à muro factam; Sic figura literæ per reflexionem luminis oculo illata, in fundo oculi

quasi

quasi depicta, remanet. Aliud lu-
men verò tenuius cum spiritibus sub-
tilibus coniunctum vltra fundum o- *Species sensibi-les.*
culi progreditur vsque ad summam
illam in cerebro locatam glandulam,
aliter pinariam dictam, propter si-
militudinem. In ipsa pinaria iterum
formatur subtilissima literæ imago,
hinc locus eius, in quo depingitur,
vocatur Sedes imaginationum, quia
ibi omnes imagines à spiritibus for-
mantur, quæ siue per oculum, siue per
aures, siue per odoratum, siue per
gustum, siue per tactum, qui sunt
sensus particulares, sunt eo transmis-
sæ. Ex hac imagine anima rationalis
format sibi imaginem magis confor- *Species intelli-gibiles.*
mem quæ vocatur species intelligibi-
lis, seu imago, quâ habitâ comparat
illam cum alijs, quæ jã præcesserunt,
imagines, vel quæ succedunt suo Or-
dine, & hic est animæ discursus & illa-
tiones. dum ex hoc, aliud infert. Et
hoc sufficit dixisse, vt scias, quomodo
hæc litera, & aliæ omnes ex papyro
vel tabula mittant figuram suam ad
oculum inde ad cerebrum; ipsæ ve-

ro fixæ vbi scriptæ sunt, manent.

Hîc reflecte te; quod quemadmodum oculus noster corporeus nihil legit, nisi mediante & figuras rerum sibi adferente luce; ita oculus mentis nostræ in rebus fidei, in legenda Sacra Scriptura, in legendis misterijs Ecclesiæ tam diu cæcutit, donec lumen æternum, lucem gratiæ suæ ipsi infundat. Tunc demum hæc lux, hoc donum gratiæ oculis mentis nostræ infert diuinarum rerum Arcana ad fidem, ad spem, ad charitatem pertinentia. Tum demum hîc lumine mens nostra fugat tenebras errorum & securè, vt in luce ambulat. Hanc lucem expetit à DEO pro hominibus Zacharias dicens: *Illumina hos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Vnde quemadmodum timemus cæcitatem corporis, si oculi nostri vel Nyctalopia afficiantur, vel rubore suffundantur, vel guta serena laborent. Ita timenda est mentis nostræ cæcitas, quæ est Nyctalopia spiritualis; timenda est suffusio seu inflammatio, qui est amor & ardor

Diuina misteria non possunt cognosci sine lumine gratiæ.

Causæ cæcitatis.

terre.

terrenarum rerum, timenda mentis nostræ gutta serena, in qua oculus apparet pulcher & purus, in re tamen cæcutit, id est: cum scientia mundana contenti, tranquilli, & sereni viuimus, & lumen supernaturale, quod illuminat hominem venientem in hunc mundum, negligimus, nec illud à DEO expetimus.

Reflecte te secundo, quod res omnes in luce positæ, imagines suas non rogatæ, non coactæ ad oculos nostros mittunt, & quasi vitro cognosci cupiunt, vt in illis cognoscatur virtus, omnipotentia, & sapientia summi DEI, quod nec Gentiles negarunt iuxta illud: *Jupiter est, quodcunq; vides, quodcunq; tueris.* Ita se oculis nostris ingerunt, sic omnino potiori iure homo homini non solùm speciem vultûs, sed & imaginem honestatis suæ, imaginem Ciuilium morum, imaginem humanitatis, imaginem bonitatis ultrò & beneuolè per oculos, per aures inserere tenetur, vt quicunque eum viderit, statim cognoscat probitatem eius, statim imprimat *Exemplum bonum.*

primat

primat ideam viri recti, Vrbani & Ciuilis, quæ impressio generat imagines & species bonæ famæ, bonæ æstimationis, quæ est ciuilis vita iure merito naturali æquiparanda, vnde non solùm est vnicuique curandum, vt speciem explicati vultûs exteriorisque cultûs mittat ad oculos spectantium, quod muliebre est, sed species virtutum imprimat in imaginatione priùs & memoria, mox & in animo. Quapropter prudentissimè Mecenas Augustum hisce alloquitur verbis: *Rectè viuentibus & ordine imperantibus totus Orbis sacer est, omnes Vrbes templa, omnes homines simulacra; nam ipsorum in mentibus collocabuntur.* Si enim in alicuius amici domo imaginem nostram relinquere decreuimus, curamus studiosè, vt sit nostri simillima, vt ingerat recentem spectanti memoriam, vt in ea næui, si qui sunt naturales, ita adumbrentur, ne facile videantur, quamuis sine illa imagine iam nos ille amicus æstimat; quanto magis scientes, quod vnicuique videnti nos,
tran-

transeunti obiter, nobiscum conuersanti vt amico, contendenti vt aduersario, necessario & naturaliter, etiamsi nolimus, relinquendæ sunt imagines vultus, habitus, loquellæ & actionum nostrarum: non curamus, vt sint exactæ, vt sint imagines bonæ, quas & amicus amet, & inimicus reuereatur, & indifferens æstimet. Tales enim sumus in mentibus hominum, quales de nobis imagines & per oculos & per aures hominibus transmiserimus. O si dicta nostra in aura solùm remanerent, & ad aures nõ peruenirent, si actiones nostræ mores cultusque vltra oculum non ascẽderent, non teneremur tam in ijs esse acurati, quàm modo tenemur, cum sciamus citò quidem concipi in nobis dictorum factorumque imagines, citò in publicum euolare, sed non citò perire in tam diligenti hominum circa eas aucupio. Protulisti inconsideratè hodie mentis tuæ calumniosam contra amicum imaginem aliquot verbis expressam, protulisti aliam in Principem vel Magnates de- *Detractio cauenda.*

 tra-

tractionem, non periit illa tam cito,
vt protulisti, delata est ad aures, inde
ad imaginatiuam, post ad intellecti-
uam, tandem & ad memoratiuam fa-
cultatem; bene ibi diuq; asseruabi-
tur in hoc gazophilacio, eritq; tem-
pus, quo in publicum protrahetur, vt
tempore importuno tuis noceat &
obstet conatibus, vt tibi Principis gra-
tiam adimat, Conciuium odia paret
in tantum, vt si sapere velis, opus
est te esse tam cautum in ijs, quæ di-
cis, quam in ijs, quæ scribis. Si in
tua potestate esset habere annulum
Gygis, quo redderenis inuisibilis, spe-
ciesq; visibiles, audibiles, vi magne-
tica annuli ita retineres, vt inter ho-
mines versans minime videreris; ad-
huc oculum DEI non effugeres, ad-
huc non liceret agere, quæcunque
vis. Quanto magis cum & Diuinus
& humanus oculus Actiones tuas vi-
det & considerat, eo quod actionum
tuarum species & imagines lux, quæ
te illuminat, oculis humanis necessa-
rio ingerit vel inuitis, curare debes,
vt imagines illæ sint honestæ, legibus
conformes, & ideo gratæ. Di-

Dices: Ergo quæram pallium tenebrosæ noctis, tum agam quod lubet ab oculo humano absconditus. *Respondeo:* Audi quod Veritas dicit: *Quæ aguntur nunc in abscondito, prædicabuntur super tectis, quia iustus scelerum vindex Deus, habet tot modos, vt reuelet pudenda tua. Ecce lapis oculum non habet, & tamen contra te clamabit de pariete. Gentiles vt videre est apud Lucianum & alibi, primo nocturnas lampades, tandem & vmbras instigatorum agere vices ibi, vbi oculus humanus vel auris deficiebat, credidere; vmbras reuelare, quæ in abscondito fierent.* Tu verò Christiane, etsi hoc minime de vmbris cum Æthnicis credis, & aliud de geniis cuilibet homini assistentibus sentis; tamen necessum est Angelum Custodem vitæ & actionum tuarum indiuisibilem Comitem esse. Siue ergo bene, siue malè agis, & Deus videt & Angelus actiones tuas, vt tu dictiones, continuo legit. *Nil occultum Deo.*

Hoc supposito, eamus ad lectionem creaturarum, id est viuorum characterum, quas orbis volumini im- *Creaturæ viuí*

 pressit

chara- pressit Deus, quia in re, scito prima-
cteres tiò hominem natum infantem simi-
mundi. lem esse externo homini, qui exem-
pli causa, ex imperio Chinensi ab or-
tu solis veniret ad occasum in Euro-
pam, omniaque prius videret, mox
miraretur antequam cognoscere pos-
set, nec morum, nec linguæ, nec cu-
iusquam rei gnarus, quæ hic agun-
tur. Ergo legit omnia oculis, auri-
bus, & cunctis sensibus, legit primo,
sed nondum intelligit, videt formas
hominum, audit voces, gustat cibos,
necdum tamen intelligit, quid sint
hæc omnia. Ita planè fit cum infan-
te, qui nondum vindicata à nimia
humiditate, illâ parte cerebri, quæ
debet recipere in se imagines à sensi-
bus particularibus ad sensum com-
munem perlatas, nihil intelligit;
Quemadmodum enim in limo nimiâ
humiditate pleno, si impresseris for-
mam cacabi, nullam retinebit pro-
pter fluiditatem; quæ nescit fideliter
retinere impressa; vt videmus quan-
tam impressionem faciant aquis one-
ratæ naues, vestigium tamen perit

vesti-

vestigio. Vbi verò cerebri illa pars pinaria emerserit, & desiccata fuerit, vt siccior lymus impressas imagines retinet, ad quorum normam format anima intellectuales imagines pro discursu. Hic occasionaliter disces, quomodo senectus, quæ ob debilitatem stomachi, multas creat humiditates, debilitatur in memoria & intellectu, quomodo gulosi & ebriosi eâdem humiditate abundantes idem patiantur. Quomodo & apoplectici subitâ obliuione corripiuntur, cũ nimirum inundatio cerebri omnes submergat imagines sensûs Communis. E contra verò infantes siccioris complexionis, viri Religiosi ieiunijs dediti, mensuram cibi & potûs seruantes, non solùm iudicio & ingenio plerumq; pollent, sed etiam quodammodo per sublimes coniecturas de futuris ceu præsagi inferunt non vanas conclusiones, imo iuxta sensum Angelici Doctoris. *Vbi anima non amplius luctatur cum crassis cerebri imaginibus, sed ita depuratas habet propter subtilitatem spirituum, vt altius*

 eleue-

eleuetur, & ipsa vicinior facta Intelligentiis motricibus prouidentiæ & ordinationis Diuinæ legem exequentibus, ab iis aliquid de Scientia illarum participet.

Legendus itaque nobis est Orbis terrarum, vt lectus intelligatur. Legendi primo Parentes, vt discamus beneficia illorum in nos, & nostram obligationem pro acceptis. Legendi postea præceptores & educatores, quorum beneficia æquantur Paternis maternisque, quæ in sanguine, quæ in nomine, quæ in substantia opum materialium consistunt: Illa verò quæ à Præceptoribus habentur, reddunt hominem Deo gratum, Reipublicæ vtilem, familiæ proficuum, æternitati aptum; dant modum conseruandorum & augendorum eorum, quæ à Parentibus accepimus in tantùm, vt moralis ista generatio seu Ecclesiasticorum seu Politicorum Præceptorum præstantior sit Physicâ generatione. Primo enim nascimur cum passionibus, imperfectionibus, vix hominis formam & figuram habentes, in reliquo bruta & anima-

Quæ in mundo legenda sunt.

animalia sumus. Secunda generatio est præstantissima, depurata à næuis, purgata à vitijs, vindicata à passionibus. Vnde Theodosius Magnus præceptorem filiorum sedere voluit, Principes Filios ceu coram Parente suo stare. Hinc Spirituales Personæ Patrum numero habentur, eò quod cum Doctore Gentium genuerunt in vitam æternam, quos erudierunt, in tantùm, vt Octauum Generale Concilium ante octo sæcula definiuerit, debere Reges & Imperatores pios, agnoscere Episcopos sibi esse æquales, vt possint monere & arguere paternè. Item Concilium Tridentinum non solum reassumit omnes Canones pro dignitate Episcopali conseruanda conscriptos, verùm etiam declarat, vt Episcopi meminerint se esse Patres ubiq;, nec seruiliter loco cedant, aut se demittant, vtq; illis Principes debitam ceu Patribus reuerentiam exhibeant. Vnde, & Reges ipsi circa actus Coronationis iurant Pontificibus Ecclesiarum canonicum honorem, scilicet quem præ-

Honor præceptoribus quis debetur.

In quo Episcopi Regibus æquales

Reges in Coronatione iurant Episcopis

 dicti

Canonicum honorem.

dicti Canones definiuerunt. Abbatibus verò & Baronibus congruum honorem promittunt. Rationem horũ si inquiras; est hæc. quod Episcopi à Deo ordinati sunt tanquàm Legati cum Charactere ad Gentes & Populos. Ergo si Legatis terrenæ Maiestatis debetur honor, quantus debetur Legatis diuinæ tremendæq; Maiestatis. Item quod Episcopi sint Patres in Spiritu: Si ergo Patres, qui generant ad vitam corruptibilem sunt honorandi, quantò magis Patres qui ad vitam incorruptibilem generant in Spiritu. Non tamen sequitur, vt inde Episcopi sumant elationis argumentum, sed potius humilitatis documentum, eo, quod cum Deus infirmitatem eorum ita eleuauerit, eosque ex hominibus assumpserit, recognoscant se semper obnoxios rationi reddendæ Deo stricto viuorum & mortuorum Iudici; Recognoscant se non propter se in tam sublimi loco constitutos, sed propter animas pretioso sanguine Filij Dei redemptas; Quod sanguinis Dominici pretium

Episcopi sunt Patres in Spiritu

inæsti-

inæſtimabiles debet reddere Paſtori ſuo oues. Et ſic vides quomodo ab omnibus Fidelibus debent honorari Spirituales Patres Epiſcopi & Clerus, propter Characterem, quem habent à Deo Rege Regum, & Domino Dominantium. Sic vice versâ cernis, quomodo Epiſcopi & Presbyteri tenentur curam habere, & ſolicitudinē circa quemlibet Chriſti fidelem, propter infinitū pretium Sanguinis Dominici, qui pro omnibus effuſus eſt. Reges & Legislatores veniunt numero Patrum & Parentum; quia pro omnibus excubant, omnium vitam & fortunam protegunt. Et quod Parentes naturales genuerunt, hoc Parentes Politici conſeruant ab interitu. Numero Matrum venit S. Mater Eccleſia, quæ generat æternitati filios. Venit & Patria, quæ generat temporali felicitati, dignitatibus & honoribus. Ergo puer diſce cognoſcere Matrem vtramq;, cognoſcere Patres Politicos & Spirituales. Diſce Chriſtiane cognoſcere Patres Eccleſiæ S. & luminaria, quæ dici ſalu-

Eccleſia Mater eſt.

tis & nocti ignorantiæ nostræ præfuerunt & præsunt, illos Chrysostomos, Cyrillos, Methodios, Basilios Magnos, Nazianzenos in Oriente; In Occidente verò Ambrosios, Gregorios, Hilarios: In meridie Cyprianos, Augustinos & alios, quorum doctrinam temerè ne reieceris cum Nouatoribus: Nam etsi hi omnes fuerunt homines, erant tamen pleni Spiritu Dei, & scientiam Sanctorum habuerunt.

Doctrina Sanctorum Patrū temerè non reijcienda.

SCHOLION.

SVperest explicandum, quod Spiritus à sensibus particularibus ad glandulam pinariam portantes imagines & figuras rerum visarum, auditarum, tactarum, odoratarum, non ibi sistant, sed vbi iis incaluerit glandula, mittit eos vsq; ad cor, quibus denuo & hoc incalescit, præsertim verò illis spiritibus, qui per oculos subintrarunt maximè verò illi, qui ex alienis oculis ad tuos oculos penetrarunt. Quod vt melius intelligas, scito: Oculos non solùm recipere lumen resiliens ab aliquo obiecto, & Spiritus ab eodem obiecto, si est viuum, emanantes, sed etiam emittere seu eiaculari spiritus,

ritus, qui à corde sursum feruntur ad caput, tandem ex capite per oculos emittuntur. Hi spiritus recta ad oculos alienos tendunt, prout post extinctam candelam fumus non ad fenestram, sed ad nasum, vbi est calor similis, recta tendit. Si verò prope est ignis in Camino, tum fumus candelæ potius ad ignem, quàm ad nasum conuertitur, quia maior flammæ agitatio in camino, quàm caloris in naso magis trahit. Cum verò spiritus ex alienis oculis emanati talis sunt temperamenti, taliter mouentur, vt tuorum oculorum spiritus, & talem habent figuram, quales sunt pori in oculis tuis; tunc suauiter tuos intrant oculos, suauiter deferuntur ad glandulam pinariam, inde suauiter penetrant vsq; ad cor, quod calefaciendo dilatant, & hinc sentitur affectus gaudii, & oculi tui conuertentur semper ad illos oculos, ex quibus prodeunt similes spiritus; Hæc ergo est sympathia, quæ beneuolentiam parit similitudine spirituum, quorum si maior copia vel statim, vel ex frequenti visione subintrauerit oculos & cor, nascitur amor. Si adhuc augentur spiritus ita, vt inflammetur quodammodo cor & imaginatio magis ac magis incalescat per

eos, tunc vocatur febris amoris seu passio erotica periculosissima, & ferme mortalis. Hinc ergo prouidentia & experientia maiorum voluit, ut iuuenes demissos gererent oculos, ne hauriant contagium oculorum alienorum. Hinc mulieres iussæ velare faciem propter eandem causam. Hinc crebrior conuersatio periculosa. Hinc Jeremias plangit dolorem suum. Quod oculus eius deprædatus sit animam eius. Hinc illi versiculi nati:

Demissio oculorum.

O oculi, scopuli titulo meliore vocati,
Ad quos allisæ, tot periere rates.

Hinc monitum Spiritus Dei: Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Et illud axioma: Vbi est dolor, eo conuertitur manus; Vbi est amor, ibi tendit oculus. Quod si Spiritus à meis oculis prodeuntes æque intrant in alios oculos, ut ex aliis in meos, nascitur mutua beneuolentia, reciprocus amor, aliàs non erit mutuus. Si verò Spiritus ex alienis oculis prodeuntes diuersi sunt temperamenti, & exinde diuersi motus diuersæ figuræ: Tunc cum violentia intrantes, turbant omnia, & auersionem faciunt potius, quàm beneuolentiam. Hinc dictum est: Meus Spiritus tuum spiritum

non

non amat vel reformidat vel auersatur. Hinc videmus, quod sine causa id nobis displicet, cum alteri placuerit etiam sine causa nobis cognita. Quod de oculis dictum, hoc intelligendum de aliis sensibus, licet in gradu remissiori: Nam de Oculis solis dictum est:

Ut vidi, sic perii, sic me meus abstulit amor. Quo innuitur non esse periculosiorem sensum ad perdendos homines, quàm oculos, hi semper primi vincunt, & vincuntur. Non alio animo hæc exposuimus, nisi vt discat iuuentus custodiam oculorum, per quos ceu per fenestras mors & peccatum intrat. Sciat comptulos illos & comptulas nihil aliud quærere, quàm vt inueniant gratiam in oculis, quâ inuentâ, iam dominantur & cordibus. Memores simus, quotquot vocamur filii Euæ, quia per oculos intrauit mors, eo quod primus per eosdem pulchritudo pomi se ingessit. Memores & illius, quod nemo vincit oculos pugnâ statariâ, fugiendi sunt ne noceant, fuga dat victoriam. Hinc bene rem perpendit, qui scripsit:

Oculus periculosior aliis sensibus.

Quid facies, facies Veneris cũ veneris ante?
Ne pereas per eas, ne sedeas, sed eas.

Vidi

Vidisti, stetisti, hæsisti, ergo certo periisti; visum declinasti, fugisti, ergo vicisti.

De Scriptione.

SCriptura Literarum est per omnia simillima educationi Infantium & adolescentium. Quemadmodum enim priusquàm scribas literas, quæris exemplaria, ad quæ tuos formes characteres; Sic in educando Christiano puero & adolescente, quærenda sunt exemplaria priorum Christianorum hominum, iuxta quorum Originales efformes iuuentutis mores. Dum educandum suscipis Principis filium, principalis Genealogiæ, quæras literas, magnorumq; Regum exemplaria proponas necessum est. Si nobilem adolescentem formas, eos, qui fuerunt nobilitate morum & actionum illustres, in exemplar sume, ad quid enim fumosæ antiquitatis imagines, ad quid historia, ad quid magnorum hominum in vita & post fata veneratio? nisi quod his Idæis vtamur ad imitationem nostram. Sic in Religiosorum virorum cæti-

Quomodo instituenda iuuentus.

Maiorū imagines ad virtutes incitamentū.

cætibus, quisq; sui Ordinis proponit archetypum & prototypum non ad iactantiam, quod esset vanissimum, sed ad imitationem, quod est vtilissimum in tantum, vt per hæc incitamenta si non ore saltem amore, more, & re fiant simillimi successores Antecessoribus.

Secunda Regula scribentiū est; vt hic tabulam, alter papyrum, alter pargamenam, ille marmor Paryum, vel æs Corynthium, deniq; aureas argenteasq; laminas eligat, in quibus scribat vel sculpat literas. Idem prope modo fit cum educatione Iuuentutis, videnda est educatio, fundamentum, in quo mox scribendæ vel sculpendæ erunt literæ, & primum locum habeat perpetua, postea temporalis felicitas, vocationi, conditioni innixa. Qui in papiro scribit, leuiori pennâ exarat literas, quo pertinet educatio communis conditionis adolescentum, sine magno educatoris fastidio. Qui in pargamena format characteres, id facit, quod cum Nobilioribus faciendum pueris

for.

fortiori & penna & manu, id eſt maiori applicatione formandi. Qui metallo ſeu lapidi pretioſo literas incidit, ferreo, id eſt multum laborioſo opus habet ſtylo, nam perennaturæ literas ſcribit lectioni. Hinc primò Ægyptii poſtea Græci, tandem & Romani duraturis imperiorum ſuorum dictionibus, literas ſolido educationis in metallo non tam leui & facili pennâ, quam ferreo ſtylo & celte ſculpebant. Iuuentutem fortia agere & pati dura volebant, ſitim, inædiam ex æquo tolerare; virgis & flagris verberare corpus Iuuenũ ſolebant, nõ in pœnam, vt modo fit, ſed in aſſuetudinem verberum: diſcalceatos & ſine pileo incedere, curſu exerceri quotidiano in tantum, vt etiam in prouecta ætate punitus fuerit Romæ Senator, eo, quod intemperantiam vitæ ſuæ allato ſibi ad comitia potu profiteretur. Alter verò Eques Romanus gradu ſuo decidit, quod dum ipſe pinguis eſſet, macilentum habuerit equum, faſſusque fuerit, ſeipſum ſibi curæ, equum vero publi-

Romanorum & Græcorum iuuentus quomodo educabatur.

cum

cum, Agazoni ſuo commiſiſſe. Quid de Cenſoria poteſtate in ipſum Senatum Populumque Romanum, vbi cenſor toti Reipublicæ notabilem, ærarioq; publico ſoluendam impoſuit mulctam, quod ante ſeptennium ſe communi ſuffragio damnatum, eodem ſuffragio Cenſorem eligerent, nõ exiguo leuitatis & inconſtantiæ argumento. Tolerabatur hæc cenſuræ grauitas ab hominibus in Iuuentute ad duriora aſſuetis. Adeo ſolidum eſt, quod iuuenili imprimitur ætati: Non erat ea tunc matrum, quæ nunc eſt, in teneram ætatem indulgentia, potius mollities. Cernebant aſperioribus ad ardua incitari iuuentutem, quæ ſeuerioribus exercitata diſciplinis, qua animo qua corpore inuicta erat. Paruulus Cato erat, ſed quia videbat auum ſuum aſperiori vultu tractare Samnitum Legatos, eandem mox aſperitatem induit & infans: Cumq; pro Legatis intercedere recuſaret, aſſumptum Legati per feneſtram quaſi eiiciendum vna manu in alto tenebant, niſi promitteret ſe pro

illis intercessurum. Minime proprio motus discrimine infans, seueritatem vultûs ita conseruauit, vt Legati desperato successu petitionis, redirent domum.

Multa sunt, quæ obliterant scriptionem, aqua, imbres, v s externa à manu, vis externa à tempore, quod etiam ipsos dicitur exedere lapides. Hinc casus ruinæq; spectant. Hæc eadem imminent scriptioni educationis, nimirum licentiosæ & propriis interminis contineri nesciæ aquæ, iniuriæ non tam cæli quam terræ, intemperies non tam aëris, quàm humorum internorum, vis externa ex conuersatione, vis temporis cum adulta ætate fortius incumbens bonæ educationis characteribus, eos obliterat. Ergò quemadmodum scriptor vel sculptor profundiores vel robustiores facit literas, quo diutius durent; ita educator Iuuentutis contendat, vt in corde Iuuenili, in imaginatiua eius facultate imprimantur, insculpantur profundi virtutis, honestatisque characteres; vt enim post

Educationis bonæ obices.

vulnus

vulnus cicatrix remanet nunquam detergenda; sic etiam post talem educationem remanent vestigia characterum virtutis impressorum, non facilè obliteranda.

Iuuenis & adolescens rasa est charta, diu retinet, si bene impresseris, in tantùm, vt tam difficile est tam bonas à Iuuentute habente impressiones, abstergere eas, & deteriores inducere, quàm arduum est malas obliterare & bonas inducere. Et vt reperiuntur quidem certæ aquæ corrosiuæ, quæ exedunt scriptas literas, nouisque dant locum: Ita inueniuntur certa corrosiua adulationum, occasionum, conuersationum, magnæ, que fortunæ, vt in Nerone vidimus, qui educatione Senecæ tam mitis benignusque erat, vt optauerit se literas ignorasse, ne neci alicuius subscriberet: Vbi autem corrosiua Aulæ & Supremæ licentiæ hos characteres bonitatis eliminarunt, quanta sitis eum proximi & remoti sanguinis cæperit, quantæ tyrannidis & vitiorum characteres successerunt prioribus?

Quæ in iuuentute didicimus iis firmius adhæremus.

Vnde non immerito quarundam Gentium cauebatur consuetudine, vt animalium, quibus vescimur, cædes in loco scorsiuo fierent, procul à parvulorum obtutibus remoto. Alij mulos, qui benefactoribus suis calces excutiunt, lasciuiaque animalia extra Vrbem, id est extra visum puerorum habuerunt. Quid pluribus opus? vnde tam feri in agrestibus mores? nisi à continuo seu acuratarum seu siluestrium bestiarum consortio?

Literæ dum scribuntur, non nisi habituatâ manu, frequentatis actibus gratiores & regulariores fiunt; Sic animi nostri sensim & pedetentim induunt formas virtutum per applicationem solidam scribentis, formantis, & manum ducentis. Quâ ergo opus patientiâ educatori, eâ scilicet, quâ & sculptori seu scriptori. Formantur literæ omnes sursum, formantur & Iuuenes sursum erecti ad cognitionem Dei, & principium Sapientiæ, quod est timor Domini. Formantur literæ solæ quidem, sic & Iuuenes separatim; Sed vbi formam bonam

Virtutes sensim acquiruntur.

bonam nactæ sunt, coniunguntur statim in syllabas & verba significatiua, id est in Ciuilem societatem, in vnionem cum Conciuibus, quia sine hâc significantem gloriæ & honoris non constituent vitam, non component Ciuitatem, non formabunt Rempublicam. Hinc vocalibus miscentur consonantes, sic Principes populis, magistratus Ciuibus, Pastores fidelibus, qui etsi tanquam literæ in eadẽ linea mortalitatis humanæ, imbecillitatis, fragilitatis stare videntur, significatio tamen illorum, quæ sunt vocales, maior est, quàm consonantium, ideoq; tanquam dignioribus debetur & veneratio & consonantia. *Ciuilis societas format Remp.*

Vides tandem, vt pueri manum per tabulam vel papyrum ducit ille, qui scribere docet; Sic Deus mentem & corpus nostrum manuducit in hâc terræ superficie. Quid enim sine hoc ductore nostra posset imbecillitas? in eo enim viuimus, mouemur, & sumus; extra illum ad nihilum reducimur. Ergo est ille vita nostra, ergo est motus noster, ergo est esse

Deus est vita nostra. nostrum. Quomodo ergo vales ab eo per peccatum, per inobedientiam recedere, sine quo nec esse, nec moueri, nec viuere potes.

Vt autem ille, qui ducit manum pueri, debet habere manum obsequentem, manum non obluctantem, alias scriptio erit informis, interrupta, inæqualis. Sic voluntas nostra & motus noster, si sequitur voluntatem Dei placidè, obsequenter, & libenter, quàm pulcherrimos actionum scribet characteres, & verba vitæ æternæ in actionibus suis exprimet. Qui vero non sequitur Deum, sed recalcitrat, renitenter se habet, characteres damnationis, librum perditionis conscribit, Diuinæ Maiestatis oculis indignos exarat characteres.

Voluntas Dei sequenda.

Sed dices: Manum quidem ducentis per papyrum in scribendo cerno, At verò manum ducentis Dei quomodo percipiam? *Respondeo*; Nõne conuinceris eâ ratione, quâ conuicta est tota Antiquitas, vt sentiat cælis & syderibus adesse Intelligentias

tias motrices, vt illa tam regulariter, ad amussim, tam exactè moueant; Ex se enim res inanimatæ tam regularem motum & multiplicem habere nequeunt; Vt eadem antiquitas & sæculorum consensus vnicuiq; homini assignauit genios particulares tam bonos quàm malos, quorum opem sentiunt homines in rebus arduis. Tanto magis crede Sacræ Scripturæ, quæ id testatur de Deo, dicens ad hominem: *Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et vlterius de hac manuductione dicit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem.* Ergo conuincaris necessum est, non solùm te à Deo duci, sed & ab Angelis Custodibus, qui tibi vias legis Dominicæ, vias mandatorum Dei monstrant, quas decurras. Ergo omni horâ & momento necessum est venerari tuos manuductores Angelos Dei, qui tuus est primus motor: Et quoties aliquod peccatum commiseris, quoties à via veritatis deflexeris;

Ex regulari motu cælorũ Dei existentia ostenditur.

Angeli duces hominũ sunt.

xeris ; toties crede te recalcitrasse manuductoribus tuis, ideoq; non rectos, non regulares actionum tuarũ formasse characteres, qui peccatum tuum dabunt legendum Deo, hominibus, & puniendum. Ergo continuò cum Psalte Diuino recognosce, & fateare coram Deo dicens: Ex vtero matris meæ proiectus sum in te Domine. Vides piscem proiectum in aquas fugere littora, non aspirare ad auras volatilium; sed profundum petere, in aquis & cum aquis moueri, extra aquas citò emori. Vides volatilia cauernosos terræ hiatus, non scrutari, altitudinem maris non metiri, sed aere suo contentari, eum spirare, extra eum non viuere. Elementum ergo tuum erit Deus, qui in illũ proiectus es ex vtero. Ergo in hoc Elemento viuas & mouearis necessum est. Hâc vnicâ aurâ viues, quam Deus spirat per gratias præuenientes, sufficientes, efficaces, gratis datas, & quotquot gratiarum genera te à bonitate eius inundant. Alia si quæris elementa, mundi scilicet, carnis,

In Deo viuendum vt in elemento.

Extra Deum

nis, vel quidquid repugnat DEO, mors inuenitur.
mortem reperies.

In Politicis circa administrationem Reipublicæ necessaria est tibi manuductio. Non nascimur sapientes, sed euadimus tales longâ rerum experientiâ, lectione historiarum, consideratione vicissitudinum, obseruatione euentuum, casuum. Ergo antequam vel per ætatem, vel per defectum experientiæ non licet nobis esse sapientes, permittamus nos manuductioni eorum, quorum vita & prudentia maturior est. Nec stolidè præsumamus, quod fieri solet, plerumq; de nobis ex eo, quod nascendi æqualitate gaudeamus, memores illius, vnius Ciuitatis esse Ciues, Medicum & Pictorem in vna platea natos, non tamen hunc de natura colorum, illum de Constitutione corporis humani æqualiter valere disserere. At scientia & experientia eos distinguit, quos sors nascendi & conditio æquat. Sic omnino & tu; quamuis eris Reipublicæ Ciuis, quamuis omnibus par, nobilitatis antiquitate, forte

Ad Remp: rectè administrandā manuductio necessaria.

& fortunâ ſuperior; non tamen te pudeat manu duci in conſilijs publicis ab experientia maiori, à peritia intimiori, nil tibi de gloria decedet, ſi bonum alterius ſequaris conſilium, prope eiusdem prudentiæ eſt optimum in publicum proferre conſilium, ab vno & altero illud probari. Demum ſi tibi volupe eſt, cum te in eo, in quo plus cæteris præſtas, aliquis audiat, nõ debes inuidere, quod in alio genere Conſilij vel experientiæ te ſuperet. Raro vni Nationi Deus omnia dedit, rariſſime vni homini, vt ſic mutuâ neceſſitate Gẽtes & homines continerentur in amicitia. Ergo ſi militaris vir eris, condeſcendes Politico in ſua perfectione; Si Politicus, permittes te â militari manu duci in quibusdam. Si ſpiritualis, informationes ſæcularium libenter audias, vt audiaris in Spiritualibus ab iiſdem. Si ſcholaſticus es habes quæ diſcas à Practico. Si ſtatum Patriæ tuæ intelligis, iuſtum eſt, vt te ille audiat & manuducatur à te, qui ab extra venit, & hæc erit de-

Vni omnia Deus dat rarò.

mum

mum manuductio mutua Reipublicæ salutaris. Caue ne te omnia scire credas, ne omnium velis esse manuductor, ne tibi dictaturam arroges, hoc enim graue & intollerabile paribus tuis. Scis quam inuidiosum & periculosum fuit illi, qui solus omnia esse volebat, relictis alijs conciuibus, solis Magistratuum vocabulis.

In Ethicis & priuato manuductores tui erunt primo vocatio eiusq; instituta, secundo exempla Virorum bonorum, super hos ratio iustitiæ & æquitati cum hac distinctione, vt plus semper credas te debere iustitiæ, quæ commune bonum spectat, quàm æquitatis, quæ particulare respicit commodum. Ideoque plurimis non bene rem perpendentibus iustitia videtur iniqua. Ideo plurimi vapulant Iudices post latam sententiam, eò quod quilibet homo naturali erga se præuentus amore, minutissima sua commoda vel incommoda enumerat, vt fucum faciat Iudicis æstimationi: Cæterum ignarus, quod iustitia, quæ ex lege nascitur, tantò validior

Vitæ moralis qui sũt manuductores.

dior & ſanctior eſt, quantò tota Gens vni alteriuè particulari homini præſtat. Hinc quærelæ particularium iniuſtæ, imò & rebelliones contra Reginam virtutum fundatricem & ſuſtentatricem Regnorum. Ergo in mente habeto ſemper, ita æquitatem cum iuſtitia combinare, vt hæc infecum iuſtitia combinare, vt hæc inferior & priuatis hominibus amica, cedat ſuperiori, & cælitùs venienti Aſtreæ omnium magis quàm ſingulorum indemnitati conſulenti. Semper ergo iuſtitia manuducat æquitatem, æquitas raro iuſtitiam, niſi interuentu clementiæ.

S C H O L I O N.

HOc vt in Literis ſcribendis, ita in liberis educandis cauendum, ne ſcriptor & educator ſuorum potiùs humorum imaginem imprimat characteri, quàm exemplarium, Idæarum & prototiporum illorum; de quibus ſupra diximus; tum enim temporis degeneres à Parentibus formarentur Filii, magisq; pedagogi educarentur quàm Principes vel viri Nobiles. Vt enim euenit, qui formationem bonam Literarum non curant, contenti, quod mentem ſuam

Iuuen-
tuti quæ
inſpirā-
da ſunt.

expri-

exprimant; interim non aliam formam literis tribuunt nisi illam, quam complexio naturalis suggerit, quod ex eo patet, cum scilicet litera rotundè quidem cœpta sed non absoluta, denotabit hominem flegmaticum, & ob defectum caloris, deficientem quoq; in forma sua: Litera ex incisis lineolis cōpacta, denotat hominem cholericum, igneq; nimio salientem manum: Litera rotunda perfectè, denotat Iouialem sanguineamq; complexionem. Litera protracta in longum difformis nec rotunda, melancholicam scribentis manum denunciat. Ita quicunq; educator vel Consiliarius seipsum tantùm amat, seipsum præ oculis habet, dum indolem alienam educat, grande damnum quà publico quà familiæ causat; plus enim formarum & characterum sui educatoris acquirit iuuentus, quàm retinet, quod à Parentibus cum sanguine accepit. Ergo educatores & scriptores non ad propriam indolem & humorem, sed ad magna exemplaria forment iuuentutem: Nisi enim hoc fuerit, tunc scribet illos versus in rasa Iuuentutis charta, qui Cæsari porrecti erant à quodam Poeta: Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Gallicas pati pruinas,

Proprio sensu abundare, est malum.

Cum

Cum è contra tenera iuuentus non poteſt ſe ad inſtar Cæſaris vindicare hoc reſponſo: Ego nolo Florus eſſe, ambulare per popinas, calices pati rotundos &c.

Deniq; poſtquam ſunt ſcriptæ & formatæ Literæ, vel cuſtodiuntur in loco mundiſſimo, ne puluere terreſtri inficiantur, donec deſiccentur, vel præſtantiori & micanti Arena ſtudio conſperguntur, ne viliorem admittant maſſam. Ita tenera Iuuentus nobiliorum hominum cuſtodienda eſt, ne antequam roboretur in virtute admittat pulueres vilis humilis turbæ, mores prauos, verbaq; indecentia minimè morati famulitii. Vel etiam non cunctanter conuerſatione Illuſtrium Virorum conſpergantur, & condecorentur, ne quidquam infimum ſed omnia ſublimia præ oculis habeant, & admittant ad ſuam familiaritatem.

Indoles iuuenũ præoccupanda excelſis factis & moribus.

De Declinatione.

IN Grammatica Literaturæ Latinæ diſcis declinare nomina: In Grammatica Literaturæ Chriſtianæ diſce declinare à malo, & inclinare ad bonum. Declinare eſt recedere ab aliquo, inclinare eſt accedere. Vt incline-

Inclinare ad bonum &

clinemus ad bonum, leges diuinæ & humanæ iubent. Vt declinemus ad contrarias Dei & humanis legibus vias, illa nos ducit propensio, quæ post peccatum Adæ, vt post ignem callidi cineres nobis in pœnam relicta est, & hic est fomes peccati; hæcque declinatio est prima in Nobis à bono ad malum, habetq; casus nostros Genitiuos, quia innatos: Et in Casu Nominatiuo vocatur concupiscentia oculorum, quæ est appetitus diuitiarum, & quidquid pulchrum nobis videtur. In eodem Casu est secunda concupiscentia Carnis, quæ metit corruptionem tam animæ, quàm corporis; demum Superbia vitæ, quæ resistit legibus diuinis & humanis; Et contra hos Nominatiuos casus pugnant tria Religiosorum vota, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ. Et hic vitiorum nostrorum fomes accusatiuum casum admittit, sed contra nos ipsos, quod cum gratia Dei potuerimus vincere hoc malum, tanquam cum auxilio certo, quod Deus nemini negat. Noluimus

declinare à malo Christianū est.

Mundi mala ex quo casu.

tamen pugnare aduersus hostem nostrum & Dei, imò ipsi adhæsimus & seruiuimus. Hinc accusabimur in die Iudicij, hinc & puniemur. Casum ablatiuum hic fomes non agnoscit, nisi tunc, cum apparuerit gloria Dei in nobis, tunc enim auferetur à nobis hæc pæna, quæ tamen modo est non solùm pæna, sed & materies gloriæ nostræ, occasio præmij, quia occasio victoriæ. Hic hostis quamdiu est in nobis numeri singularis, tamdiu iuuante Deo facile vinci potest: Sed cum per numerum pluralem potentior euadit & habituatur, habitationemq; firmam in corde nostro exstruit, Iugum terribile imponit Intellectui, voluntati, & memoriæ nostræ, tenetq; hominem illum, qui ore Psaltis clamat: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Eo tempore si accusatiuus casus hominem premit in Conscientia, tum habituatus tyrannus iubet Intellectui quærere excusatiuum ad dandas excusationes in peccatis. Tunc voluntas toto desiderio & corde hostem suum amat, memoria

Fomes ad peccandum meriti materies est.

Habitus peccami nosus quàm nocinus.

moria cuncta obliterat, hoc solùm retinet, operit turpitudinis suæ peccatum, vt pretiosissimam imaginem, vt Troia Palladium, vel gentilis Roma delapsa cælo ancilla seruat. Numerus Pluralis in Declinationibus dat Nobis occasionem declinandi errores hæreticos, circa Sanctissimum numerum pluralem Indiuiduæ Triadis. Infallibile est ex fide Diuina, Deum esse vnum in essentia, in substantia, trinum autem in personis: Alia enim Persona est Patris, alia Filij, alia Spiritûs Sancti. Hoc vt pro captu humano intelligas, scias Deum cognoscere seipsum, & generare per cognitionem sui Sapientiam æternam, imaginem suam, lumen Paternæ gloriæ; & quia generat, ideo vocatur Pater, & hoc quod generatum est, vocatur Filius; Et ille qui generat, & ille qui generatur; nihil diuersum à se sunt, sed idem omnino secum: Ideò idem omnino sunt in natura, quamuis in personis sunt diuersi. Quia autem Pater amat imaginem suam, & imago Patris reda-

Processiones Diuinæ.

mat Parentem ſuum; Ideo tertia
perſona Spiritus Sancti ſeu mutui a-
moris, procedit ab vtraq; Perſona Pa-
tris & Filij. Et quia ſpiratio Patris &
Filij ſeu Amor eſt intrinſecus, identi-
cus, proprius amor vtriusque ideò
etiam eſt idem naturâ, etſi diuerſus
perſonâ. Sufficiet ergo pro te Gram-
matice tantillum ſcire, tantillum cre-
dere, tantillum percipere ex Augu-
ſtiſſimo miſterio Trinitatis ideo, quia
Deus fallere neſciens, reuelauit, & ad
credendum propoſuit, & meritum fi-
dei reſeruauit in cælis. Et quia veri-
tas æterna dicit: Ego & Pater idem
ſumus. Quomodo dubitabis, quod
Filius cum Patre non eſt idem in na-
tura, in ſubſtantia? Et cum alibi di-
cit: *Mittam vobis Spiritum.* Nonné a-
pertum eſt, eundem eſſe Spiritum Pa-
tris & Filij, & ab vtroq; procedere?
Habes & in anima tua quandam hu-
ius æternæ Veritatis adumbrationem
in Intellectu, voluntate & memoria
tua. Diſtingues generationem Filij
& ſpirationem Spiritûs à cæteris at-
tributis Dei; quia generatio Filij per
Pa-

Patrem, & processio Spiritùs Sancti ab vtroq; sunt actiones immanentes in Deo, cum sint intra Deum, imò Deus ipse. Cæteræ verò actiones, dū agit Deus omnipotenter, iustè, misericorditer, scienter &c. Sunt actiones ab extra, quarum terminus Creaturæ sunt.

Prima autem declinatio est in Grammatica Christiana à peccatis, quæ cognoscuntur ex genitiuo oriri Casu. Secunda declinatio erit à conuersationibus malignis, quæ similes sunt fulmineo afflatui vel auræ pestiferæ. Cum bono bonus eris. Semper in vita habeamus, ad quem moribus inclinemus, & aliquem nobis proponamus ad exemplar vitæ & actionis. Vis esse magnus, maiorum quærito conuersationes Inter paruos fies minor; Nec te decipiat primatus, quem malles habere Athenis, quâm Romæ esse secundus. Meliùs est inter bonos & rectos esse vltimū, quàm inter malos esse primum, cùm fueris vltimus inter hos, excresces in primum; cum fueris inter illos pri-

Cum magnis conuersandū.

mus; iam decreuisti, quia factus es pessimus. Cauebis ergo quandiu Iuuenis es, Iuniorum vel æquè Iuuenum conuersationem, nam hi æquè sunt incolæ noui mundi, æquè sunt inexpertes, vt tu, æquè fragiles vt tu, quibus ætas lubrica vt tua, experientia vt & tibi nulla. Quid ergo disces à simili tuæ ignorantia? Iuuenis es, ergo credas te magis nouitium in Orbe, quàm aliquis æthiops in Vrbe. Omnia tibi ignota credito, ergo quære antiquiores incolas, seniores & prudentiores, qui vel proprijs vel alienis edocti casibus, didicerunt quæ proficua, quæ noxia. Credas mundum esse illum labyrinthum tot Minotauris obsitum, vbi sine Ariadneæ prudentiæ filo facile aberrabis, fiesq; tot belluis quot vitiis pabulum. Quid magis tibi externum, quàm mundus, in quem non ità pridem natus es. Ergo disce prius noscere quàm concupiscere. Miserum est Magistris erroribus, pedagogis casibus erudiri, vt non fugias ignem, nisi iam combustus; non concupiscas
decli-

declinare vndas, nisi inter naufragia. Vides in sacro illo eloquio Iuuenes illos, qui credunt se ducere dies bonos, coronantur floribus, nihil negant, quod voluptati arridet En in momento descendunt ad infernum. Hæc est temeritatis Iuuenilis pæna, dicere cum Ionata: *Gustaui & ecce morior.* postquam sumpto in summitate virgæ melle, mortis reus euasit. *Voluptas iuuenes perimit.*

Tertia Declinatio sit otium puluinar diaboli, bonæ mentis interitus, certum virtutis exitium, opum Charibdis, paupertatū messis, ignauiæ scaturigo. Et nisi didiceris hanc tertiam declinationē, fies similis ijs, qui nō viderunt solem. Cum hac declinatione discas inclinationem ad labores tam mentis quàm corporis Dij laboribus omnia vendunt. Nihil virtuti imperuium. Mollis gutta durum cauat lapidem. Vsu, labore, splendescit ferrum; quod alias iners denigraret & consumeret erugo. Nec aurum, nec adamas fulget, quamdiu labore, igne non expoliuntur. Otia *Otium puluinar diaboli.*

 si tol-

Mala ex otio. ſi tollas, periere Cupidinis arcus. Et ille cur factus adulter, quæris? nam otioſus erat. Mens hominis irrequieta eſt. Spiritus iuuenili in corpore feruentes continuo phantaſmata mouent. Periiſti Iuuenis, ſi otioſus, ſi deſes receperis, quæ imaginatio ſuggerit, quæ vtiq; vt corporea eſt tota, vt ſanguinea, vt bilioſa, quid non niſi leuitates, illicitos ignes & furores excitabit? moxq; cordis tui Troiam incinerari ſpectabit Orbis, lugebunt Parentes, tu ſerò ſenties. Ergo *Iuxta vocationem labo randũ.* exercitijs competentibus vocationi tuæ, ſtudiis & laboribus ſuccinctus impedias, ne ad te acceſſum habeat ſub patrocinio otii caro & ſanguis, quibus præceptoribus diſces & ſeminabis illecebras, vt corruptionẽ menas, mox nec Deo, nec Patriæ profuturus, cum mentem & corpus tuum otio, deliciis eneruatum; nomen vitijs infamatum viderint, & tanquam peſtem Iuuentutis cauere decreuerint.

Luxus quæ Quarta declinatio, Luxus profuſionis bonorum, qui depauperat domos,

domos, eneruat Regna, parsimoniæ magnum vectigal tollit, importunos cateruatim creat creditores, intendit lites, erubescendam inducit pauperiem, & serum nec amplius vtile menti & cordi imprimit pænitere. Vsus rerum homini parat æstimationem; venerationem; amorem conciliat, non abusus. Hæc ergo declinatio duobus casibus constat; Male datiuo imo dispersiuo casu; & postquam dederit sua sine modo, recurrit ad Casum Ablatiuum, aliena auferendo per iniuriam. Certum enim est, quod opes per luxum & ambitionem exhaustæ, per scelera suppleri quærant. Sic in Euangelica Doctrina videbis prodigum filiũ primo luxuriantem, deliciis affluentem, mox quisquilijs porcorum miserum ventrem implentem, & in Republica Romana vnum nomine, sed re tot Catilinas, per excidia Patriæ, inopiæ suæ ex præcedenti luxu natæ consulentes in tantum, vt Orbis Domina Respublica ab obæratis ex luxu hominibus, primo turbata, tandem & obruta fuerit.

mala infert.

Romana Resp. per luxũ exhausta.

Vnde quamdiu rigidior censura è Senatu & Ordine Equestri mouebat eos, qui aut Senatorium, aut Equestrem decoxerant censum, tamdiu stetit inconcussa Respublica. Nihil enim est periculosius, quàm Magistratus homini ex paupertate auido concessus. Hanc ob causam nec Depontani senes, nec bonorum suorum dilapidatores ad Consilia publica vocabantur eo, quod primi non putabantur habere euictionem Consilij sui in exitu vitæ, alij in opibus dispersis. Et nunc tutela minorennium non datur, nisi bene possessionatis de lege. Quomodo ergo dabitur tutela Reipublicæ hominibus priuatas opes conseruare nescientibus. Doctor Gentium cum quærit Episcopum, qui sciat domui suæ præesse, quomodo enim Ecclesiam seruabit? si priuatam domum conseruare nesciuit?

Litigia cauenda. Quinta declinatio ab omni contentione est, à strepitu forensi, à litigijs, quibus miserè innodantur homines. Ergo tu sis ipse Iudex, vel bonum virum fac iudicem, ne per Tribuna-

bunalia & subsellia, vageris. Redde vnicuiq; quod suum est: Cui honorem, redde honorem; cui tributum, redde tributum; Cui debitum, persolue debitum. Sic declinabis seueros Iudices, & casu Ablatiuo gaudentes Causidicos. Litigiosi enim homines creduntur plerumq; vexatores esse Conciuium, animo irrequieti, turbatores Societatis humanæ, deficere proprio videntur iudicio, qui ad alienum & publicum continuo recurrunt. Vnde magis timentur, quam amantur; Curiones venali lingua, mercenaria conscientia appellari soliti, apud quos omnia venalia, quia seruilia.

APPENDIX.

IN prima Declinatione, crebriori confessione ac satisfactione pro peccatis studebis declinare virgam iræ Dei, virgam ferream à te, à Domo tua, & Patria tua, Quis enim scit an pro te solo omnes non puniantur? Testatur Scriptura totum exercitum castigatum pro noxa vnius. In secunda

Pro peccato vnius puniuntur multi.

Deo & Magistratibus obediendum. cunda Declinatione declinabis iram & indignationem Domini vel Magistratus tui per obedientiam per fidelitatem debitam In Domino temporali adorabis æternum, quia omnis à Deo potestas. Declinabis nimias confidentias Magnatum quæ rarò sunt stabiles. Non eris curiosus in secretis eorum indagandis, ne forte scrutator Maiestatum & Magnatum opprimaris à gloria; Offensas illorum deprecaberis, nam si ira Regis nuntius est mortis; Ira Magnatum erit prodromus infirmitatis tuæ.

Multiloquiū vitandum. In tertia Declinatione declinabis sermones multos: In multiloquio nō erit sine peccato. Declinabis detractiones, cauebis non solùm ne scribas caluminosas de quopiam literas, sed ne quidem scriptas ab alio legas: Nā talia scripta Deum & homines contra scriptores, lectores armabunt, & maledictionem de cælis super te adducent: Vt habes in Psalterio tenorem & exemplum earum.

SCHOLION.

GRammatica literaria casus sex numerat,

rat, per quos nomina de vna in aliam formam cadunt. Humanæ sortis conditio infinitos penè experitur, ab eo casu incipiendo, quo primi generis nostri Parentes cum tota posteritate ex statu gratiæ in statum calamitatis & miseriæ ceciderunt. Cum hoc casu nascimur, estq; noster genitiuus: & ab hoc incipiendo tota vita nostra. non nisi per Casus declinatur, vsq; dum in sepulchrum labatur.

Origo casuum humanorum est originale peccatum.

Cum autem plerumq; humani casus vocantur fortuiti tanquam à fortuna in nos immissi, scias non esse Christianam hanc locutionem, nisi in sensu certo. Nos enim sub nomine fortunæ diuinam gubernationem & prouidentiam veneramur; quæ quamdiu est nobis ignota, vocamus fatum, id est effatum seu dispositionem Dei; quæ dispositio vbi cum tempore in apertum prodierit, vocatur à nobis fortuna nostra, quia credimus, quod nobis hoc & illud accidat propter merita nostra vel demerita, vel ex absoluta visitantis Dei & constantiam nostram probantis voluntate, vt in Jobo factum. Hinc disces non Casibus res nostras regi, sed dispositione Dei, prout meremur vel demeremur. Cum autem Actiones nostræ,

Fortunæ & fati nomine prouidentia Diuina intelligenda.

stræ, vt Nomina Grammaticalia cadant sub diuersas formas rectas vel obliquas, bonas vel malas, prout illas rectè vel sinistrè ordinamus, ideo possunt reuocari ad sex Casus Grammaticales.

Primus Casus est Nominatiuus qui debet esse rectus, quia debemus vera nomina rebus dare. Res appellare vt sunt, debemus appellare lucem, lucem, & tenebras tenebras. Nos autem plerumq; propter excessum amoris vel odii deficimus iudicio, vocamus bona, quæ sunt mala, & mala quæ bona. Non tribuimus quæ tribuenda sunt pro exigentia, & tribuimus quæ non tribuenda sunt. Caue ergo ne vnquam facias nominatiuum non rectum, dum virum bonum appellas malum, amicum arbitraris inimicum.

Passiones corrũpunt Iudicium.

Casus vocatiuus tam apud Grammaticos, quàm apud te sit quoq; rectus. Vocas seu inuocas Deum in tuum adiutorium, vt te iuuet, vt tibi benedicat: Voces ergo illum corde recto, cures vt sis rectus coram eo. Vt ambules in viis rectis, nam in circuitu impii ambulant, apud tales vocatiuus est obliquus, ideo pereunt.

Deus inuocandus corde recto.

In Casu Genitiuo, repones nascendi condi-

conditionem Tuam, quæ si alta est, habes pro quo Deo agas gratias, quod sine tuis meritis ea tibi dedit, quæ alteri dare poterat. Non glorieris itaq; tanquam de tuo, sed gratias agas tanquam pro alieno. Inferiorem te despicere noli, hic enim Deus, qui te voluit sine tuo merito magnum nasci, alterum voluit, sine eius demerito minorem fieri. In hoc tamen es par tuo Inferiori, quia æquè morbis & morti subiectus es vt ille. In hoc dispar, quia ille potest obscuriorem sortem nascendi virtute sua illustrare, tu verò illustritatem tuam, si degener vixeris potes obscurare. Si tibi Deus in Casu Genitiuo mediocrem dedit conditionem, cures vt eam reddas meliorem per virtutem. Scias non tam esse honorificum nasci magnum, quàm viuere. Nam viuere magnum, est opus virtutis tuæ: nasci magnum, est alienæ. Qui magnus natus es, contende facere magna pro Deo & Patria.

Casus Datiuus melior est Ablatiuo, quia beatius est dare, quàm accipere. Cum tamen hoc Casu vteris, vide primo cui das, si das ex amore Dei, pro gloria nominis eius, si das ex amore proximi propter Deum, dando peritura bona, & ea quæ relinquen- *Motiua dandi.*

da

da erunt, quæ tot casus perdere possunt; Accipis æterna & mansura per commutationem bona. Deus liberalitate se vinci non patietur ab homine. Das simplum, recipis centuplum. Quod das vanitati, ostentationi, ambitioni, quod das mundo propter mundum; perdis, dissipas, reddes rationem Deo, quod bona eius dissipasti malefidus dispensator. Quia cum tu ipse non sis tuus sed Dei, qui te fecit: Ita nec Bona, quæ vocas tua, non tua sunt, sed Dei, qui tuæ dispensationi dedit bona cum onere reddendæ rationis. Et quia quæcunq; habes, dedit tibi Patria vna cum vita ipsa, conseruauit armis suis & securitate ex legibus nata: Ideo debes Patriæ vniuersa, quæ habes, dum illa necessitate aliquâ laborat. Tanto libentiùs dare debes, quanto certius est, quod illa reddet, vbi conseruata fuerit; reddet tibi & tuæ posteritati. Respice Carthaginem, quæ vbi arma, tela, naves victori concessit, duriùs ab eodem habita, & alibi demigrare iussa; ne solum nativum desereret, deficiente ferro, dedit aurea monilia in enses, dederunt Matronæ Capitum crines in funes navium, vestem pretiosam in vela, domorum tecta in materiam navium. Re-

Patriæ debemus vniuersa.

spice

ſpico Romam poſt Cladem Cannenſem, omnem cultum muliebrem dederunt Matronæ in vſus Reipublicæ, meruerunt & ex hoc tam inſigni dativo Caſu; vt ipſis maior quam antea tribueretur honor, rhedæq; conceſſæ, tales dativi ſunt glorioſi. In Caſu Accuſativo. crebro accuſa te coram Deo ex peccatis omiſſionis & commiſſionis in Republica & ſocietate humana, accuſa te de negligentia, de imperfectionibus, & de commiſſis contra cõmunem Patriam erroribus. Cæterum, cave accuſare quemquam niſi exigente id Officio tuo, vel conſcientia, niſi ſciveris ita omnino eſſe; frater enim tuus eſt, & qua homo, & qua Chriſtianus, quemcunq; accuſares. Demum tum primùm accuſabis alios, ſi nihil in te excuſandum habes. Si non accuſabis, multo magis non iudicabis proximum tuum, niſi te cogat Officium. Vnus eſt omnium Deus Iudex, & homines, qui vices eius in hoc officio gerunt. Potius excuſa quantùm potes, & apud te, & apud alios, imperfectiones proximi tui, ſic & illum corriges, & Charitativum Actum exercebis.

Accuſatio ſui coram Deo vtilis.

Ablativus Caſus, ſit tam alienus à declinatione vitæ tuæ, vt ne cogitatione quidem

dem

Furtū contra legem naturæ. dem appetas aliena auferre. Peccatum enim est contra legem naturæ, cuius instinctu docemur alteri non facere, quæ nobis fieri nolumus. Solus Deus potest auferre omnia sine peccato, quin omnia dedit ex gratia, & ita dedit, vt se iure suo non spoliaverit, magisq; nobis bona sua commodat quam dat, iuxta eloquium iusti Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit. Ideo supremi Principes & Magistratus, quia Dei locum & vices gerunt, possunt disponere de rebus tuis iuxta leges sibi datas: Et eo titulo habent persæpe potestatem Casus Ablativi.

De Coniugationibus.

QVomodo verba temporis iugum ferant, ex coniugationibus Grammaticæ Latinæ didicisti. Quomodo tu ô homo iugum Domini suaue portare debes ex Christiana, disce Grammatica. Quod iugum tibi portandum sit, non dubites: Tuæ libertatis est illud eligere, scilicet iugum Dei, quod est leue, quia author naturæ est sustentator humani generis, nihil imponit humeris Nostris, quod eos prægrauet. Opus suum non destruit, imo

Iugum Dei suaue.

imo quod creauit, conſeruat. Sed quia nos vult Beatos facere & præmiare, proponit nobis iugum ſuum portandum, vt habeat, quem recompenſet laborem: Creauit nos ex clementia, vbi excidimus per peccatum ex ſtatu gratiæ, in qua creatus erat primus homo, vult nos ſaluare ex iuſtitia, nimirum propter merita filij ſui, quæ in tantum Nobis prodeſſe voluit, in quantum per fidem viuam & Charitatem formatam merita Chriſti nobis applicamus. Et in hoc ſenſu Pauli verba intelligenda: vt impleamus, quidquid deeſt Paſſioni eius. nimirum hoc deeſt, vt nobis applicemus. Ergo certiſſimus ſis, quod Chriſti iugum ſuaue eſt, quia commenſuratum viribus noſtris. Hoc iugum ſi reiecerimus, venit iugum diabolicæ ſeruitutis, venit iugum mundanæ vanitatis, venit iugum carnis, tot compedes, tot iuga, in momenta ſubiugamur à concupiſcentiis & deſideriis noſtris. Hic fert iugum Auaritiæ, quod inter affluentes diuitias ſummã penuriam pati iubet; Omnia in au-

rum Exemplo Mydæ conuertere, vt pro potu ciboq; non ſit niſi aurum, quod fame attenuatum enecat corpus. Alter portat iugum Ambitionis, quod per ſupplantationes Amicorum, per calcatam conſcientiam, per ſeruiles demiſſiones ſurſum aſcendere iubet, ad alienum guſtum ridere, flere, ad nutum excubare, inſomnes ducere noctes, ita, vt poſtquã attigerimus deſideratum gradum, ad alium denuo aſpiremus, ab hoc ad tertium, nullibi centrum quietis, vbique labor & dolor, donec viciſſitudine humana deſuper deorſum lapſi ruamus, Phaëtontis ad inſtar, inter ambitionis æſtus conſumendi. Alius hoc alius aliud portat iugum, certat ſine victoria, vincit tot obſtacula ſine præmio, imo cum detrimento ſalutis in tantum, vt ſi in vna lance poſueris ea, quæ patiuntur homines ſub iugo mundi ad damnationem æternam: In altera poſueris ea, quæ pro ſalute ſuſtinentur, facile percipies plura pati pro acquirenda damnatione, quàm pro conſequenda ſalute. Quam facile e-

Iugum vitiorũ graue.

Iugum mundi ſine præmio portatur.

le enim poſſunt obſeruari mandata Dei, id eſt: Amare Deum Optimum Maximum, redamare amantem, quã naturale eſt. Amare proximum, quia eſt conſeruus tuus, quia eſt imago Creatoris, quia amatur à Deo, quia eſt Caro ex carne noſtra, & os ex oſſibus noſtris, quia eſt compatriota noſter, quia eſt Conciuis in terra & cohæres in cælo futurus, quia ille me quoq; amat, vel ſaltem imperfectiones meas tolerat, quia me per errorem odit, quia me credit inimicum ſuum. Ius ſuum cuiq; tribuere, quàm facile eſt, vt nobis noſtrum conſeruetur; Aliena non appetere, nam eo ipſo noſtra nobis vileſcerent, & fortè permitteret Deus nos in eodem puniri, per quæ peccamus in alios. Neminem lædere, vt nos nemo lædat. Quam ſuaue quam facile Dei iugum eſt pro ſalute. Quam difficile eſt diaboli iugum pro Damnatione; non amare Deum bonum, & ideo caſtigari à Iuſto Iudice: gloriam eius non curare, & ideo contemni viciſſim ab eo: lædere proximum, ſed etiam retalia-

Præcepta Dei facilia ſunt ad obſeruandũ.

ri ab eodem: Eripere aliena, ſed periculo exponere propria. Iraſci homini, ſed prius ignem iracundiæ in propriis viſceribus excitare, qui tibi magis intus nocebit, quàm contractus vultus, quem amico monſtras. Eripuiſti aliquid cum iniuria, iure à te repetet iniuriatus. Occidiſti quempiam, vita tua depoſcitur ad ſupplicium. Non eſt pax impio, armantur contra eum leges, armatur & cælum. Etſi ſiluerint homines, lapides de pariete loquentur. Tantus ergo ſt labor, tantum martyrium, vt poſſis damnari.

Hæc de Chriſtiano iugo, reliqua de Politico: Homines in ſocietate viuentes, portant iugum primum ſocietatis humanæ, quòd in eo conſiſtit, vt alter alterius ferat indolem, patiatur mores, colat amicitiam, alter alteri fidem ſeruet datam, alter alteri ſit commodo, alter alterum non lædat; alter alteri ſubueniat eo, quo abundat, vt ipſi ſubueniatur in eo, cuius penuriâ laborat. Iura vicinitatis obſeruet, iura hoſpitalitatis. Et hoc eſt iugum ſocietatis humanæ. Ite-

Iugum ſocietatis humanæ quod nã ſit?

Iterum eſt iugum Ciuile inter eiusdem Patriæ Ciues, quod conſiſtit in vniformi & communi amore eiusdem Patriæ, in procuranda eiusdem ſecuritate, in conſeruanda gloria, in iuuando conſilio, opibus & viribus, communi Matre, in obedientia Ciuili, legibus & Magiſtratibus præſtanda. Et hoc iugum ſub conſcientia, ſub honore obligat quemlibet Ciuem ſub pœna & præmio.

Iugum Ciuile conſiſtit in vniformi Patriæ amore.

Eſt & aliud iugum fœderis & ſocietatis publicæ, cum fœderantur Nationes debiliores contra potentiorem & communem hoſtem, ne ſingulæ cũ eo luctantes, vniuerſæ vincantur. Habet enim ſocietas hoc beneficium, vt debiliſſima quæq; reddat fortia; quã facilè vna frangitur ſagitta, difficilius duæ, difficillimæ plures. Certũ quidem eſt iugum hoc, non adeo eſſe leue, cum obliget non ſolùm ad ſua onera, ſed etiam ad ſocialia commoda portanda: ſed quia debilibus & per ſe ſubſiſtere non potentibus ſalutiferum eſt; Salubris medicina non ideo reijcienda, quia amara. Cauendum

Virtus vnita fortior eſt.

tamen, ne cum potentiori iugum feras, vindicabit te quidem ab illo, à quo times, sed subiugabit is, à quo libertatem sperabas. Caue dum de iugo societatis cogitas, ne sis equo illi similis, qui ceruum pratis suis submouere cupiens implorauit opem hominis, frænumq; recepit; Abegit quidem aduersarium, sed nec equitem dorso, nec frænum depulit ore.

Matrimonij iugum repræsentat Christũ & Ecclesiam. Iugum Morale est, idemq; Sacramentum Magnum, Coniugium. Iugum est, quia vtrumq; sexum adiugat. Sacramentum tali vinculo iugat. Sacramentum est, quia repræsentat Christum in viro, Ecclesiam Sanctam in persona mulieris, adeò coniunctum, vt illam nunquam deserat ad consumationem sæculi. Gemina ergo obligatio oritur in iugo Matrimoniali; Prima, vt repræsentetur fideliter Christus & Ecclesia eidem desponsata; Vt vir ea faciat pro coniuge, quæ Christus pro Ecclesia facit, docet, erudit, per Spiritum Sanctum, fouet gratiis, tuetur vbique, ne portæ inferi præualeant aduersus eam. Vt mulier fidelis sit

Obli-

capi-

capiti ſuo Chriſto, amet, reuereatur, *gatio-*
falſas doctrinas non recipiat, in viro *nes con-*
imaginem Chriſti & in ſeipſa Eccle- *iugij.*
ſiæ typum omni cura & attentione
obſeruet. Secunda Obligatio eſt
mutuas imperfectiones patienter fer-
re, in proſperis & aſperis ſocium vi-
tæ nunquam deſerere, in charitate
non ficta, in vnitate ſincera viuere,
& ex ſe natis bono exemplo præeſſe.

Igitur conſidera verba Grammaticæ in tantum temporibus eſſe coniugata, vt quæ præteritũ ſonant, futurum non ſonabunt: Et quæ coniugium præſentis temporis habent, præteritum non indicant. Tu Chriſtiane Grammatice altioris es conditionis, quam verba ſimplicia.

Prima animi tui coniugatio debet eſſe cum Authore temporum, qui eſt Deus: habes enim intra te imaginem & ſimilitudinem eius, qui eſt ſupra tempora. Et ideo hæc quoque imago anima tua & ſi in tempore creata, non tamen tempori, ſed æternitati deſtinata. Quod vt melius intelligas diſce. Æternum dici, quod

Æternitatis descriptio. duratione omnia excedit tempora, nec ijs comprehenditur; & hâc æternitate solus gaudet Deus, ideoq; vocatur sempiternus, id est: semper æternus. Secundo dicitur æternum, quod præteritum quidem tempus nõ excedit, sed omne futurum: & hâc posteriori æternitate gaudet anima, & omnes Spiritus cælestes, qui habuerunt quidem principium durationis, sed finem non habent. Tempus au*Tempus definitur.* tem cum nihil aliud est, quàm mensura motus cælestium corporum vel inferiorum, scilicet motus cæli primi mobilis, motus solis, motus lunæ, aliorumq; syderum, motus horologiorum, rotarum, in quantum tempus metiuntur. Pars, quæ iam transiuit, vocatur tempus præteritum Pars, quæ hoc instanti transit, vocatur præsens. Partes, quæ succedent præsenti, vocantur futura tempora. Ita tempus peribit, cum mundi machina resoluetur, & motus amplius non erit. Æternitas autem, quæ partes non habet, semper eadem permanebit.

Rursum æternitas duplex est

quo

quo ad homines viatores ſeu viuentes: Bona & Mala. Bona æternitas illa, quâ homo poſt mortem gaudebit viſione Dei in conſortio Spirituum cæleſtium. Hæc eſt felicitas illa, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Altera æternitas mala eſt, quâ homo priuatur viſione Dei beatificâ in conſortio damnatorum ſpirituum, vbi pœnæ damni irreparabilis adiunguntur horrendæ pœnæ ſenſuum. Vide ergo Grammatice Chriſtiane, vt non magis te tempori perituro coniungas, quàm Deo felicis æternitatis ſcaturigini. Applica te quoq; tempori, quia temporalis es iuxta corpus, iuxta viam peregrinationis tuæ, ſed æternitatem ſemper habeto in mente, quia potior pars tui æterna eſt. Hinc facile comprehendes, quomodo res mundanæ, & vt vocant temporales continuo ſunt in motu, & ita volubilitati inſident, vt lintres & ſcaphæ innatant fluminibus, irrequietis continuo deorſum feruntur alueis. Venit ætas & præterit, veniũt honores & abeunt.

Æternitas bona & mala.

Res mũdanæ in continuo motu.

eunt. Affluunt diuitiæ & effluunt, & quæ hodie magna intueris & veneraris, cras longius prouecta vix comparent, tandem & disparent.

Mundana sunt transitoria, quæ tẽpore mẽsurantur.

Disce ergo ex hac Coniugatione rerum per tempora, omnia esse transitoria, tam præterita quàm præsentia imo & ipsa futura. Antequam fierent iam sunt peritura. Sola sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit, & virtus, quæ ex lege Diuina nata est, sunt mansuræ, quia nulla earum tempori facta est, sed æternitati. Nã quamuis sapientiæ monumenta & virtutis trophæa vna cum orbe tandem interibunt, vtriusq; tamen præmia manebunt ceu Characteres indelebiles immortalis animæ.

Tempori actiones accommodandæ.

Grammatica Ciuilis prudentiæ, iubet te verba & actiones tuas tempori aptare. Si etenim cum tibi res proponitur futura, tu de illa vt de præsenti institueres discursum, tam longè à legibus prudentiæ recederes, quàm ille aberraret, qui infantem tractaret vt senem, & virum maturum, vt infantem. Omnia tempori-

bus tribuenda in ſocietate humana.

Sunt mala hodie tempora, iuſte cras ſperabis meliora, quia ex lege motûs perpetui, opus eſt, vt præſentia abeant, futura ſuccedant. Proſperis ſi vota tua affluunt ſucceſſibus, ex lege eiusdem viciſſitudinis metuê aduerſa; Sic neq; proſpera te efferent, nec aduerſa deprimeent, nam hæc & illa ſunt temporis labentis qualitates. Nec credas humanâ prudentiâ labentium viciſſitudinum poſſe remorari curſum. Fabuloſum eſt Amphionem fluminum retardaſſe motus. Æquè à veritate alienum humano Intellectu poſſe teneri, quod Deus Author & motor naturæ in perpetuò voluit curſu. Ex hac rerum & temporum coniugatione magnum in aduerſis habebis ſolatium, non exiguum in proſperis, ne illis diffluas, frænum. Omnia facilè tolerabis, ſi memineris omnia fluxa, quæ ſub ſole & ſupra ſolem ſunt.

Prudentia humana viciſſitudinem rerum non eludit.

Reuolue hiſtorias, interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi, quanti Populi & Gentes, quanti Reges & Prin-

Mundus est theatrum scenicũ

Principes suas in theatro Orbis, hi tragicas illi comicas luserant scenas, comparuerunt & disparuerunt, vix marmor alicubi & papyrus bene obliterata monstrat vestigia. Vbi Medorum & Chaldæorum prima Orbis Monarchia? Vbi Persarum alia? vbi Græcorum tertia, & quarta Romanorum? præterierunt. Vbi Saracenorum, Vandalorum, Gottorum, Longobardorum, Teuthonum pugnacissimæ Gentes? Scenam suam luserunt & interierunt. Vbi sapientia Salomonis, Diuina prope Platonis intelligentia? Solonis prudentia? rectitudo Socratis? Dialectica Aristotelis? Galeni & Hypocratis medica gloria? quæritur, & vix vestigia horum remansêre. Adeo tempus omnia, ut veloces in cursu auferunt vndæ.

Monarchiarũ & Regnorum vicissitudines

Omnia mutabilitati subiecta

Respice & præsens tempus, qui nunc gloriantur in splendoribus fortunæ, in maiestatibus potentiæ & aliis temporalibus, propè est tempus, quo non erunt. Reflecte te super futurum tempus & hi, quos vides ludere par impar, æquitare in arundine longa,

ga,

ga, ſuccreſcent, oculos & aures implebunt orbis. Qui infantes videntur, erunt viri tum, cum illis noſtro peracta ſcena præſenti cedemus loco. Reſpice agreſtem turbam & humiles caſas, quot purpuræ ſub pannoſis nunc latent veſtibus: inq; palatia exurgent hæc, quæ nunc cernis tuguriola: Et iterum erit tempus, quò ſumptuoſiſſimorum ædificiorum, Vrbium, & baſilicarum apices ſub pedibus tranſeuntis gement viatoris. Nec mireris, natura temporum; & vices hæ ſunt.

Alia verba quæ coniugantur ſunt Actiua, alia Paſſiua, alia Neutra. Sic omnino vita noſtra conſiſtit vel in actione bona pro Deo, pro legibus, pro Patria, pro noſtra ſalute, & fortunis. Vel in Paſſione, cum teneamur omnia pati, quæ voluntate vel permiſſu Diuino in nos irruunt, quàm nobis à Regibus, à legibus, à caſibus, ab amicis, ab inimicis contingunt hæc omnia & Chriſtiane & politicé, & prudenter pati debemus, hoc motiuo, quod etiam Deus multoties tolerat *Vita noſtra in quo conſiſtit*

lerat noſtras imperfectiones, tolerant & ſuperiores noſtras inobedientias, tolerant & amici defectus noſtros, tolerant & hoſtes iniurias noſtras. Quadraginta annis in deſerto Deus tolerauit ingratitudinem populi ſui, quem ad libertatem vocauit, cui terram melle & lacte fluentem promiſit, quem ſaturauit mannâ & coturnicibus; ſemper tamen ingratum & obmurmurantem vidit.

Inter Politica exempla referri poteſt Theodoſij Magni ingens animus, qui furorem Antiocheni Populi pertulit immotus, cumq; dicerent amici, ſtatuam ſuam concuſſam, & in vultu laceratam inſanientis Populi auſu. Ad hæc Imperator applicatâ manu ad faciem, videte an genæ meæ non ſunt integræ? an vulnus vel liuor apparet, & ſinite me bene: credere, non eſſe mea, quæ ſtatuæ meæ ſunt inflicta vulnera. Caſtigauit quidem ipſe inſolentiam popularem, ſed dolorem ad cor non admiſit, ne turbaretur; tulit & patienter iniuriam & ſapienter monſtrauit ſe eſſe invulnera.

Theodoſij Magni moderatus animus

nerabilem. Si enim ſe læſum fuiſſet profeſſus, non niſi excidio Vrbis vindicanda eſſet iniuria, deeſſentq́;, quibus imperaret. Sic prudenter dolorem ſuum & alienam minuit pænam.

Tam actionum quàm Paſſionum noſtrarum verba, debent temporibus aptari; cum enim ſunt intempeſtiuè, ſemper ſunt importunè prolata. Debent habere modos, quos leges præſcribunt, nam quæ ſunt immodica, vitia ſunt; quæ cum modo & moderatione eueniunt, moderata ſunt, & duratura. Ergo vitæ tuæ verba Actiua ad tempora & modos reuoca, reuoca & paſſiua, nam Sapientiâ teſte: *Omnia tempus habent.* Sic eſt tempus, quo tu omnia impetrabis, & quo tibi omnia negabuntur, quamuis iuſtiſſima petieris, quo & ſapientem ſua deſerit ſapientia, & inſipientem linquit inſipientia. Eſt tempus, quo imbelles fiunt fortiſſimi. Eſt quo Pœta inuitam ad verſificandum incuſabit Mineruam. Cum enim ſanguis noſter & ſpiritus, qubus mouemur, patent impreſſionibus aëris, modo feruentiorem,

Omnia habent ſuum tempus.

rem, modo remissiorem humorum gradum acquirunt. Hinc idem homo, eadem Indoles modo talis, modo alia est iuxta aëris cæliq; temperiem; vt cæteras omittamus cōcausas. Hinc notabilis est illa Ductorum & Imperatorum Romanæ militiæ prudentia, quæ militem tamdiu Castris valloq; continebat, quamdiu miles summis prælia non posceret precibus, timebat enim nimium, ne tempore importuno inuitus in aciem descenderet, miles tam facile vincendus, quàm ad præliandum minime dispositus. Hinc vt militibus tempora præliandi non solùm occasiones expectandæ sunt, sed etiam tempora fandi obseruanda Oratoribus.

Romanorum Imperatorum prudentia.

Verba Neutra dantur in Grammatica latinitatis, excluduntur à Christiana. Acceptantur quandoq; in Politica. Hominem neutrum odit Deus, & quem nec frigidum nec calidum sed tepidum, id est neutrum videt, exspuet ex ore suo. Qui vult seruire Deo & simul vanitati mundanæ, neuter est. Qui vult esse vtriq; bonus, fi

Neutralitas Deo odiosa.

neutri.

neutri. Non poteſt homo vno pede in cælo, alio in terra ſtare. Idem fit & in moralibus. Cum in ſocietate humana viuamus, opus eſt vt cum hac vel illa teneamus parte, opus eſt, vt virtutem ſectemur, vitia vitemus, ambiguitatem caueamus, nam qui in duabus ſimul vult ſedere ſellis, procul dubio cadet. Pauci ſunt caſus, in quibus neutrum eſſe licet, imo oportet, ſcilicet cum Iudicem agas, debes eſſe Neuter, iudicio prorſus ſuſpenſo à ſtudio partium; quod ne oculis, qui ſunt primi conciliatores fauorum, haurirent Iudices Areopagitæ, tam obſcuro Tribunal conſtituerant loco, vt neminem eorum viderent, quorum accuſationes vel defenſiones audiebant. Cum Conſanguinei inter ſe mutuis digladiantur odijs, tu te cauebis miſcere. Quo ad odia, debes eſſe neuter. Quo ad reconciliationē, vtriuſq; eſſe debes ſolicitator ad pacem.

In ſocietate humana ſimultas fugienda.

In Grammatica literali quatuor ſunt coniugationes, eundem numerum ſeruabis & in Chriſtiana.

Deus amandus super omnia

Prima Coniugatio iubet amare Deum, sed illo amore, quem vocant appretiatiuo, id est supremo, & amore super omnes res creatas. Amore tam remoto ab amore rerum creatarum, quàm infinito spatio creaturæ à Creatore distant.

Naturaliter voluntas nostra tendit in bonum vt illud amplectatur, ergo in optimum debet tendere vel maxime. Deus non creauit ex nihilo, creat in momenta, dum conseruat, quia conseruatio est continuata Creatio. Exaltauit nos super omnia manuum suarum, præfecit volatilibus cæli, piscibus maris, & bestiis terræ. Donis naturalibus vt sunt Intellectus, voluntas & memoria, dotauit nos; Donis supernaturalibus, vt fide, spe, charitate donauit, promisit hæreditatem æternam, & cohæredes fecit Filii sui vnigeniti. Quantopere ergo nos Deus dilexit, videmus, ergo & redamari est dignissimus.

Dei beneficia in nos profusa

Patriæ cõmoda & amor

Patria iure merito est nobis amanda, cum in hac & ex hac viuamus. Et quia in Patria habemus religio-

ligionem, quâ ſaluamur, habemus dignitatis gradus, quibus emonemus. Habemus bona, quibus ſuſtentamur. Habemus conſanguineos, amicos, fratres, quorum præſentia & amore delectamur. Habemus ſecuritatem, quâ ab omni oppreſſione vindicamur, ergo omnium rerum charitates cōplectitur Patria. Et quemadmodū homo hominē amare non poteſt niſi ipſum cognoſcat, niſi aliquo tempore cum ipſo conuerſetur, niſi eius exploratam habeat dignitatem, niſi confabulationem cum eo viderit amabilem, tum demum ſpiritus eiacu lati ab oculis, euaporati à corpore ſubeunt oculis, & per hoc cor noſtrum adeunt, & adeo grato quodam motu eleuant, vt quodammodo nos illi homini alligatos ſentiamus, grauiterq; eius præſentiæ diuortium, tum & abſentiam feramus; Cum dolente dolemus, cum gaudente gaudemus, nihil eſt, quod ipſi libenter non concedamus. Ita etiam niſi cognoueris quid ſit Patria, niſi perpenderis, quàm tibi benefica, quàm tibi propitia,

quàm de te sollicita, nequaquam
eam amare poteris, & nisi noueris id
totum esse à Patria quod habes, amo-
re illius non cupieris. Ergo attentè
considera, frequentius recogita, qua-
lia tibi Patria dedit, vt scias quanta
tu illi debeas. Necesse est vt nõ igno-
res hominem, qui Patriam suam odit,
tam ferum esse, vt diuinis humanisq;
rebus, sanguini & felicitati propriæ
bellum inferre videatur. Tales fue-
runt illi, qui ciuilibus bellis se conta-
minarunt, fraternas acies colliserunt,
Crudeles in Patriã exosi.
in Patriæ suæ membra sæuierunt, dũ
in Ciues crudelitatem exercuerunt.
Tales erant Pompeius Iulius & Cras-
sus primi Triumviri, tales & secundi
Octauianus Antonius & Lepidus,
quibus accesserat quartus Pompeius
crudeles in Patriam Ciues, quia Con-
ciuium Tyranni, hos præcesserant
Marij, Cinnæ & Sulæ, hos secuti Ty-
berij, Nerones, & Caligulæ, ciuili san-
guine nunquam satiati; Sic pene ge-
neris humani Patria propriis dilania-
ta manibus, quia Conciuium; crude-
litate ex sanguis.

Secun-

Secunda Coniugatio docere & doceri vult. Cum enim naſcimur adeo maiores cæteris animantibus idiotæ, vt cum videamus illa aliquot intra horas aliquid ſapere: Nos niſi doceamur, ponderá terræ inutilia ſumus. Ergo doceri debemus primo à legibus diuinis, poſtea & humanis, ab vſibus & conſuetudinibus honeſtis, probatis & receptis. Doceri ab Ecclesia Dei & à Miniſtris eius. Debemus doceri à caſibus alienis, & hodierni errores debent eſſe nobis craſtini Magiſtri. Poſtquam bene fuerimus eruditi in palæſtra Conſcientiæ & bonæ conuerſationis, debemus reliquos docere, vt quicunq; nobiſcum ſunt, à nobis diſcant rectè viuere, ſanctè viuere, ſapienter viuere. Debitores ſumus doctrinæ amicis, inimicis, domeſticis; nemo ſit, qui diſcat à nobis ſcandala, diſcat blaſphemias in Deum & Principem: dui diſcat à nobis ingratitudinem, perfidiam, nam peccati alieni toties erimus rei, quoties ex occaſione noſtri exempli committentur. In Iuuentute & ætate viri

Doctrina ex quibus fontibus hau rienda.

Alios docere tenemur dū ipſi ſumus eruditi in palæſtra cōſciæ.

rili magis ſtudeamus doceri, quam docere. In ætate ſenili poſſumus eſſe Magiſtri. Sic quanto in honore eſt ille Numma Pompillius, qui pietatem & religionem ſuos docuit Ciues, quantò in honore & veneratione erant apud Plebem Patricii & Equeſtris Ordinis Ciues, eò quod quælibet patriciorum & Equitum familia haberet propria ſacra, propria auſpicia, ſine quibus nihil recte agi credebant, à quibus omnes ſuos actus incipiebant. Vnde populus fere ſacros habuit, qui ſacra ſua habebant, & cultum Dei curabant, talibus in imperio exiſtentibus promptum obſequium, in Magiſtratu veneratio integra fuit. His Sacramento alligabatur Populus, fidemq; ſeruabat, quanta in æſtimatione erant, quotquot boni exempli fuerant Ciues. E contra verò Lucullos luxûs Aſiatici Authores, Craſtinos primos prælii Ciuilis incentores, non ſine lachrymis ad hanc vſq; diem Annalium memorat fides, qui dedocuerunt tantas virtutes, quibus res Romana ſtetit.

Nũma primus Religionis Romanæ inſtitutor.

Malorum Doctores.

Ter-

Tertia Coniugatio Est verbum lego, vt latinus lector ex literis verba legit, vt apes ex floribus mella legunt, vt Paterfamilias fructus terræ & arborum legit, & in vsus bonos cõuertit. Sic Deus volumen mundi huius juxta doctrinam magni Antonij diuisit in superam & inferam paginam. Vtramq; lucidis & viuis impleuit characteribus omnipotens manus eius. Legenda ergo Christiano homini & Politico prima & secunda pagina, nam hæc & illa enarrat gloriam Dei, conditorem suum loquitur, quẽ cæcus negat Athæus Leges in niuibus grandinibus, fulminibus, tempestatibus, in spiritibus procellarum, qui faciunt verbum eius, cuius mandata tu toties spernis.

Mundus volumen Dei.

Sume boni Ordinis regulam Politice, eam lege ab exactissimo motuum cælestium ordine & subalternatione. Quomodo primum mobile Orbes inferiores moueat, quomodo hi illi indefesso obsequio famulentur, quibus aspectibus recreant & conseruant orbem, quas vices inter se accu-

rato ſtudio ſeruant? Reflecte te, & lege annuas fere in magnis ſyderibus Ecclypſes, nec in poſterum mireris, ſi eaſdem terreſtres quandoq; patiantur Planetæ. Omnia in motu cernis, omnia gradiri vias proprias, nec alienos ingredi tropicos. Tuam crede hanc eſſe lectionem, in qua legis, vocationis ſuæ quemlibet debere fixo inſiſtere pede, nec alienos aggredi fines; ſic enim nouum Chaos Politicus pateretur Orbis, quod tanto ſtudio ſuperus declinat, dum ordinem ſeruat.

Vocatio intra fines proprios

Leges in ſupera illa charta, quomodo ad ortum ſolis planetarũ Principis extinguuntur planetæ reliqui, lumen ſuum amittunt, ſydera fixa, nec illæ, quæ ſub nomine viæ lacteæ numerantur, lucent ſtellæ. Solus eſt ſol, qui diem occupat, diſcuſſis tenebris. Hæc vbi in ſenſu literali perlegeris, reflectes te ad ſenſum Allegoricum, vnde clarè percipies Solem eſſe imaginem Dei, à quo dies vitæ noſtræ, à quo lux Intellectûs noſtri, à quo ſplendor gloriæ noſtræ. Hoc orien-

oriente Sole extinguitur omne mundi Planetarum, Regum & Principum lumen; Omnis ſerenitas caliginoſa eſt in comparatione fontis luminum, qui eſt Deus, in tantum, vt vel ideo dicatur ſol, quod ſolus ſit adorandus, colendus & venerandus. Cuius in comparatione villeſcunt omnes ſyderum excellentiæ, nec eſt, quod in paritate cum eo veniat. Sic ergo rerum humanarum ſplendores magnitudines æſtimabis reſpectiuè ad Deum, vt aſtrorum ad ſolem, coram quo ſunt tanquam nihil, & in conſpectu eius plane obſcurantur.

Magnitudo rerum tēporaliū ex Deo æſtimāda.

Leges ſecundo, quod quemadmodum omnes planetæ lucem propriam minimè habent, & eâ tantum parte ſunt lucidi, quâ illos ſol reſpicit. Ita & nos homines, cum nihil ex nobis habeamus, eâ parte tantùm illuſtramur, quâ parte ad Deum conuertimur, quâ parte lucis eius radio & gratiâ eius illuminamur, cætera tenebroſa ſunt & operta mortis caligine.

Homo ex ea parte lucidus quâ ad Deum conuertitur.

Leges tertiò. Quod vt Planetæ

 miſſos

missos à sole radios exacta gratitudine reflectunt, & non solum Soli, à quo accepere, remittunt, sed etiam aliis Complanetis participant. Sic Luna cæterique planetæ illi similes, reflectunt alios radios versus solem, alios versus terram. Ita omnino quilibet homo gratias à Deo acceptas debet ex lege gratitudinis recognoscere, quod nihil habeat, quod non acceperit; ad Authorem suum referre. Has easdem gratias deberet communicare cum Complanetis suis hominibus. Ita, si acceperit donum scientiæ, debet illud communicare proximis suis. si acceperit donum diuitiarum, debet illud participare simili modo. Sic de cæteris.

Gratitudo Deo facienda

Leges quartò. Vt luna cæteriq; Planetæ habent in se lucis solaris incrementa vel decrementa & plenilunia, prout propius vel remotius à sole degunt. Habent & interlunia, cum ad corpora opaca propiùs accedunt & solem declinant. Patiuntur & inglorias & quasi fatales Ecclypses, dum inter se & solem; alterius planetæ

æquè

æquè opaci interponunt corpus. Ita omnino cum homine fit, qui proficit vel deficit in gratia Dei iuxta id, quo accedit vel recedit à factore suo, patitur interlunia, dum peccatis venia libus refrigeſcit Charitas eius.

Profectus vel defectus hominis ex accessu vel recessu ad Deum.

Leges quoq; Politicas reflexiones, nimirum vt à Sole Planetæ luminis ſui incrementa ferunt. Sic à Solio vbi meritorum Arbiter reſidet Princeps, claritudo dignitatum noſtrarum oritur. Vt Planetæ non videntur ab hominibus, niſi priùs videantur à ſole ſuo; Sic neq; Ciues recti boniq; videri poſſunt, niſi rectitudinis & probitatis ſuæ teſtimonium habuerint à fonte politici hominis ſole & ſolio. Quemadmodum luna ita diametraliter ſubintrans ſolem, vt eius radios ad terram mittendos ſola intercipiat, tum humanis in oculis & ſol extinguitur, & illa tam inuiſa, quàm inuiſibilis redditur. Ita omninò in Republica, quicunq; ſolus lunæ ad inſtar Principis ſui fauores omnes, & actiuitates ſolis in ſe ſolo concentrat, nec eos cum Conciuibus parti-

Parallela ſolis & Planetarum cum Principe & Ciuibus

tur

tur suis, facit gloriam, æstimationem, honorem Principis sui ecclypsare, se reddit Populis inuisum. Odiosa inde in Rempublicam tot mala emanant, quot ab Ecclypsi credit populus emanare in terram. Cauendum ergo est terreno soli à tali ecclypsi, cauendum & complanetis terrestribus seu Conciuibus à monopolis fauorum, gratiarum; & beneficentiæ Regiæ, nisi populi maledictiones & dira Conciuium odia magis placeant. E contra verò quàm grata est in plenilunio luna, eò quòd acceptos à sole radios communicat cum Complaneta suo terra, eamq; à nocturnis vindicat vmbris. Ita omninò gratus est Ciuis Ciuibus, acceptus est Statûs Minister Populo, qui radios solis reflectit ad vtilitatem populi, ad discutiendas illorum tenebras, & ad commune bonum: Tum sub tali plenilunio, crescunt humana cerebra in laudes, in affectus benefici Planetæ. Vt autem noctes Planetarum non aliunde oriuntur, quàm quod se à sole suo auerterint, vel obiectu similium sibi abscon-

Princeps nil obscurũ agat.

Vtilitati publicæ studendum.

ſconderint ſe à fonte luminis. Ita etiam quotiescunque Ciues affectu auertuntur à Principe ſuo, ſeq; potiùs quàm illum reſpiciunt, noctem illorum ſequi neceſſe eſt.

Leges in eadem ſupera Orbis pagina, quomodo cuncti Planetæ intra ſphæras ſuas continuò voluuntur, nec ſphæram terræ inuadit Mercurius, aut Iupiter hoſpitatur in ſphæra Saturni. Ita omnino neceſſe eſt Ciues circa munia ſua intra ſphæram Actiuitatis verſari, ſeruare motus ſuos intra orbitam contentos, eâ lucis menſurâ frui, quam dedit ſitus loci propior vel remotior à ſole. Quàm portentoſi & importuni ſunt Cometes, qui ceu turbatores Orbium cæleſtium, eos inuadunt criniti, barbati, quanto pauore replent vniuerſa, qui omnia miſcent, omnia volentes eſſe in Republica omnia turbant, cenſoriam eorum poteſtatem nullus Planeta declinat, imò nec ſol ipſe.

Quilibet contineat ſe in ſuo officio, nec mittat falcem in alienam meſſem.

Leges denuò, quomodo ingentes illi globi, & multis centenis vicibus terrenum noſtrum ſuperantes, nihil

hil agant, nisi ex lege Conditoris sui, ad quam exactissimè obseruandam omnes suos componunt motus, qui tam regulares sunt, vt per tot sæcula minimè ab eis recedere comperiuntur supernæ Reipublicæ Ciues.

Mores ad normam legum cõponẽdi.

Ergo reflecte te an omnes ciuiles motus tuos ad normam legum ita componas, vt tropicos recti & honesti non excedas, ita vt non tibi te, sed communi bono natum, communi bono viuere, omnia tempora consentiant.

Comparationes solis & planetarum cũ virtutibus moralibus.

Leges & morales ibidem disciplinas dum videris, vt Planetas lucem à Sole accipere, sic hominem à Deo illuminationem Intellectûs. Vt planetas cooperari motu suo versus solem directo ad suam illustrationem, sic homines operationibus suis acquirere virtutes seu morales seu Politicas seu Christianas. Vt Planetæ câ tantum parte sunt nobis grati, quâ parte nobis lucent in tantùm, vt quamuis alia parte illustrantur à sole, nos tamen de illis iudicamus, vt à parte nostra obscuros videmus. Sic

&

& homo, quamuis in conſcientia gerat lumen rectitudinis, & virtutum Christianarum perfundatur luce, ſi tamen hæc lux exteriùs non diffundatur, opacum & tenebroſum plerumque credimus. Vt Planetæ habent tempus, quô hominibus lucent, & aliud tempus, quô lumen à ſole acceptum illi ſoli remittunt: Sic homines neceſſum eſt, vt luceant hominibus, participent de lumine ſeu à naturali ſole, ſeu â morali, ſeu à ſupernaturali accepto. Certum tempus iterum habeant, quo ſoli ſuo ſoli remittant id, quod acceperunt. Vt Planetæ mutuatâ à Sole ſine ſtrepitu, ſine fragore exuuntur luce, dum ille repetit radios, qui dedit: Sic & homines patienter ferant, ſi Deus per ſe vel per ſua inſtrumenta, exuit nos claritudine, quam conceſſit, imò luce communi priuat, ad quam admiſit. Et cùm Planetæ ſeparantur à luce, vt iterum luceant; ſic nos ſeparamur â vita, & meliorem & potiorem habeamus æternam. Vt Planetæ poſtquam in luce creuerant, demum decreſcunt;
Sic

Sic nos crescimus ætate, ingenio, viribus, gloria, æstimatione, & iterum decrescimus in iisdem, donec intercalaris venerit hora, illud tempus, quod est inter vltimam vitæ diem, & inter primam, quæ nos iterum vitæ restituet, cum Deus venturus est iudicare viuos & mortuos. Vt Planetæ ex mutuo occursu modo augem lucis, modo iacturam patiuntur. Sic homines propter incidentes in rebus humanis Casus ex lege humanæ vicissitudinis modò hoc incrementum, modo illud sufferunt detrimentum. Vt tot Astrologos numerat terra, qui obseruant motus syderum rectos & obliquos, concentricos & excentricos, connotant, motus trepidationis & motus raptûs, suntq; spectatores omnis supernæ vicissitudinis, sic cælum tot terrelogos fouet, qui motus & actiones nostras obseruant, rectitudinem & obliquitatem actionum notant; Vnde dictum est verbo Dei: Quod pugnabit Orbis aduersus insensatos: Nimirum creati illi orbes sustinent partes Creatoris sui, & vindicant

dicant offenſas, dum quas in nobis cernunt, deuiosq́; à lege motus noſtros ſpeculantur. Vt planetæ illi ſuperi vana forte apud nos laborant ſuſpicione, quaſi Saturnus triſtitiâ nos afficeret, calorem in nobis extingueret. Mercurius lites crearet, & verſipelli actione nobis illuderet; Luna noſtros turbaret humores, Iupiter plus iuſtò nos faceret hilariores publico in luctu, Venus ad omnem carnis excitaret illecebram; Mars ad nos gladios ancipites, clades & funera tranſmitteret. Ita certum eſt, & longâ experientiâ probatiùs, adeſſe in ſocietate humana inter Conciues terreſtres; tetricos Saturnos, verſatos Mercurios, mutabiles Lunas, hilares Ioues, paſſionatas Veneres, quæ terrarum Orbem, quæ Reſpublicas miſcent, turbant, affligunt, de propè domos & familias confundunt magis, quâm ſuperi illi, & toties calumniâ hâc per Aſtrologos affecti, toties ab eadem per prudentiſſimos Magiſtratus vindicati.

Tandem magnitudinem Dei in

typo illo cælesti mirare & venerare, quàm magna tibi videtur terra, & quantilla tu pars eiusdem sis, facilè consenties. Luna quidem tertia parte minor, Venus, & Mercurius: Sed Sol sexagies & ampliùs maior, Iupiter plusquam centies, Mars pluries centies, Saturnus decies centies millies terrâ nostrâ amplior, tot millenis centenisq; milliaribus dissitus, ab hoc quinquaginta propè millionibus milliarium distant fixa sydera, eaq; innumera. Adiice his numerum innumerorũ eorum syderum, quæ olim diffusi ad instar luminis lacteam componentis viam exactiori nunc dioptrisis adminiculo cernuntur reales stellæ eâ multitudine, quàm dinumerare nemo potest adeo, vt terra nostra, quàm magna nobis est, tam demum parua orbibus cælestibus, vt pro vno puncto inter illos computetur. Humiliabis ergo te sub potenti manu Dei, vbi te videris tam pusillum Athomum vnius puncti, quæ est terra, esse. Tum demum erubesces ad titulos magnificentiæ, magnitudinis, ad titu-

Magnitudo cælestium Planetarũ describitur.

Terra punctũ est respectu cæli.

titulos Celſitudinis, ad titulos verè mendaces quia fallaces. Tum demū dices, Domine non ſum dignus, vt mentis meæ oculum ad te eleuem audacius, vt opera tua ingeniolo meo perſcruter, vt lumen tuum inacceſſibile intuear, vt credam me aliquid eſſe, cum nihil ſum, vt cum factore meo diſputem, & operibus meis contradicam: Hærebit menti meæ illud, quod iuſto Iob iuſtè exprobraſti: Vbi tu eras, cum me laudarent Aſtra matutina?

Infera Pagina voluminis mundani nonne tot lectiones oculis tuis exhibet legendas. Vt flores verni qui apparent, mox diſparent, vt fruges æſtiuales adoleſcunt, & à falce cadunt, ut fructus autumnales poſtquam adoleuerunt, decidunt; Sic homines alii in florida ætate præcocibus rapiuntur fatis, alii in virili metuntur robore, alii ſenio confecti cadunt. Moritur, quodcunq; naſcitur. Vt ceruí cum ceruis, leones cum leonibus, Pardi cum Pardis ſocietatem tenent, bella intra ſpeciem ſuam

Mors nulli parcit ætati.

non gerunt, ſic plusquam belluinum eſt bellum, quod inter homines, quod inter Nationes, & quod maximum eſt, quod inter Ciues geritur. Simile ſimili gaudet in cæteris animantibus. Quanta ergo malitia eſt, ſi ſimile ſimili nocere cupit. In varietate tempeſtatum, diſces varietatem fortunæ tuæ, proſperitatis & infelicitatis, nō durant hæc, vt nubes tranſeunt, vt nox diei, dies nocti ſuccedit, ſic proſperis aſpera, gratis tædioſa miſcentur, lege æterna, quia lege Dei naturantis omnem naturam. Lege vt tolerabilius tibi ſit eas experiri viciſsitudines, quas tantus tolerat Orbis, imo quibus ſtat & decoratur. Varietas ſtatuum & conditionum, ſine qua nullus ordo eſſe poteſt, nulla felicitas, eradicabit ex animo tuo inuidiam, & tranquillum reddet animum. Vt enim ſi eſſemus omnes Domini, non haberemus ſeruos, ſi eſſemus omnes vnius voluntatis, omnes idem faceremus, omnes imperare vellemus & non eſſet qui obſequeretur. Si omnes obſequi cuperemus, non eſſet, qui

Sine varietate ſtatuum & cōditionū nullus eſt ordo.

qui imperaret. Si omnes vellemus bella, mox gladio periret genus humanum. Sic Deus voluit, vt quemadmodum differimus in vultu, differimus in cultu, differimus in inclinationibus, in fortunis, vt facilius vnus alteri subalternetur, indeq́; oriatur concentus harmoniacus pro gloria Dei, pro salute Reipublicæ. Quilibet suæ attendet conditioni, alterā alteri relinquit.

Leges gratitudinis leges etiam in terra, quas legisti in cælo. Cole terram, mitte semina in eam, reddet multiplex pro simplici, ne sit ingrata. Ergo caue, ne cor tuum erga Deum & beneficos homines, sit illa maledicta terra, quæ non respondet laboribus humanis, tribulos & sentes germinat. Leges adhuc in terra & illam doctrinam, quod illa nihil sine cæli fauore producere valeat, nihil sine sole & priuilegijs desuper cadentibus germinare: Sic nec anima hominis sine adiutorio Dei & fauore. Ergo ut terra continuò subiecta cælo soli, sic tu sis subiectus Deo & volun-

Sine adiutorio Diuino nequ potest facere boni homo.

tati eius. Vides terram non resistere cælo, cum nobiliores eius partes Sol in altum eleuat, totq; ex illa format meteora, Soli simillimam lucem, in corruscationibus terrfica fulmina & tonitrua. Sic omnino tecum agit mens supera, quæ te eleuat ad cognitionem supernarum rerum, vt luceas in Ecclesia, vt illustres Patriã & Gentem tuam, vt sis fulmen hostibus Ecclesiæ & Patriæ. Semper ergo te credas supernaturalis Solis Meteorum esse, cuius radijs sublimitatem tuam te debere confitearis.

Lege vlterius terram, & vide diuersitatem plantarum, vimq; medicam in ijs, & aliam vim huic contrariam, & deprehendes omnipotentiam diuinam iure tibi metuendam, iure amandam, quæ alijs herbis tribuit qualitates, quibus tibi prosint, alijs indidit contrarias, quibus tibi noceant. Respice venenatorum genus, & videbis, quàm multa flagella peccatorum reliquit Deus. Respice formicas, & videbis in illis laboriosæ ac prouidæ vitæ insigne exemplar, quo tuã remittit

ignauiam Spiritus Sanctus. Intuere adeo indiuisibilem terræ cum aquâ societatem; vt vnum efficiant globū, vnum componant corpus. Terra in præcordia sua semel admissas conti net aquas, aqua terram non excludit, imo fouet eandem continuo, mutua commoditate. Hinc disces humanæ societatis & amicitiæ necessitatem, quæ tolerat diuersos humores, nouit non odit mores amici diuersos, & quà potest, eosdem rectificat. Vt enim aqua omni vento mobilis, amicæ terræ vel montibus vel cautibus vel aggeribus coercetur; Sic modestia tua amici leuitatem compescet sine fastidio. Vt terra naturali ariditate inflexibilis, aquæ humore redditur mollior; Sic duri & asperi amici mores lenitate tua mitescent, & vsui reddentur. Vt aquarum Congeries salsa & nociua omnem salsedinem & grauitatem permeando amicam terram, deponit, dulcificatur & depuratur; Sic conuersatio amici politioris exuet te rusticitate tua, expoliet, vsibusq; Reipublicæ aptabit. Surripit ali-

Ex terra quæ discenda sunt.

quãdo terræ margines insidiosa aqua in vna parte, mox ab alia associali corripitur terrâ damnum pensatura. Ergo disces amicitiæ leges ex societate telluris cum vnda, neque pigebit morum habere elementa eadem, quæ & vitæ tuæ principia.

Leges adhuc terram, etsi obtusior visus minutissimos Omnipotentiæ Dei characteres non percipit. Sume in adiutorium visûs microscopia seu vitra augentia obiecta, & tum intueberis in qualibet arenula formam lapidis multiformem, inq; eius cauitatibus, vermium pusiones nidificare. Respice folium exempli causa Saluiæ, videbis crabrosam superficiem ceu in colles assurgentem, in vallibus verò collium tam minuta residere animalia, quibus eminentes superficiei partes sunt ad instar alpiũ vel Pyreneorum Montium in tantũ, vt siue multitudinem illorum pusionum in vallibus collium residentium inspexeris, siue altitudinem illorum montium exiguitate habitantiũ proportionatam consideraueris, Helue-

ticum mundum quolibet Saluiæ folium appellabis. Etsi reflexionem in aliam superficiem feceris, vermium Antipodas non negabis. Missa hîc facimus ea, quæ constans curiosorum asserit experientia, quasi in illis alijsque folijs adminiculo suprамemorati mycroscopij perciperentur omnis generis animalia, figuras Elephantum, Boum, Arietum, imo homuncionum ludentis naturæ spectra viderentur. Quibus consideratis fateri necessum est, non solùm in magnis immensisq; cælorum molibus, vastissimis eorundem spatijs, omnipotentiam Dei & immensitatem elucere; sed etiam in minimis ijsque, ad quæ humani oculi acies, cæcutit, mycroscoptici vitri suffulta adminiculo. Hinc ergo sumes Argumenta immensæ Sapientiæ, prouidentiæ Dei, quæ dum omnia in numero, omnia in pondere, omnia in mensura creauit, non solùm capillos Capitis nostri habet dinumeratos; sed arenæ maris tenet computum, mensuram & pondus tam exactum, vt nec vno plus,

Omnipotentia Dei etiã in minimis elucet.

nec vno minùs atomo, quàm necessum est, gaudet vniuersus Orbis. Hinc erubescat necessum est impius Atheus, qui credit Deum actuum nostrorum transcurrere censuram, & rerum humanarum incuriâ delectari, cum tam diligentem minimi vermicelli imo & Atomi, exactamq; gerat curam. Non enim sicut videt homo, cuius facultates sunt finitæ & angustiatæ, qui lassatur labore, fatigatur Curis, dum hîc est, ibi est absens, sic Deus quoq; videt; qui neq; lassitudinem vt homo sentit, neq; angustiatur vt creatura, neq; carneos habet oculos, vbiq; totus est, implet omnia, excedit omnia, penetrat omnia, & cum inuenerit finem creaturarum, non inuenit finem sui. Laudatur in magnis, laudatur in paruis. Orbis terrarum est scabellum pedum eius. Orbem vniuersum in digitis suis suspensum tenet. Ergo tanquam in conspectu eius semper viue, & quæ spectante oculo humano non agis, quomodo in conspectu Dei, in conspectu rerum creatarum visibilium & inuisi-

inuiſibilium creatoris committere nõ erubeſces ?

Ex lectione viuorum horum characterum plurima diſces, ſi volueris. Ne piger ſis, vade iuxta monitum Sãcti Spiritus ad formicas, vide quàm ſollicitæ ſunt æſtiuo tempore, vt habeant, quo hieme viuant. Vides quàm indefeſſæ currunt, vt grana conferant; vides quàm prouidæ ſunt, dum illam partem grani arrodunt, quæ pullulare in herbam ſolet in terra condita. Vide prudentiam, quâ miram & balſamicam reſinam conferunt ceu anthidotũ putredinis. Hæc eſt cura formicæ pro conſeruanda modica vita. Quid tu pro æterna facis? reflecte te. Conſidera mellificas apes, quam ex omnibus floribus laborioſè mella legunt, venena araneis relinquunt. Tu verò potiùs toxica colligis, dum vitia imitaris aliena, mella non legis, dum virtutes vides, nec imitaris. *Formicæ prudentia.*

Quarta Coniugatio eſt verbum Audio. Fides noſtra ex auditu. Audiuerunt illam Apoſtoli à Chriſto, ab

Apo-

Fides est donū Dei Apoſtolis Patres noſtri, ab his nos accipimus hoc donum Dei. Fides ergo non eſt in oculis, vt non credamus, niſi videamus; Nō eſt in Intellectu, vt non credamus, niſi quod intelligamus. Sed eſt ex auditu Fides Dei, quia fundatur in authoritate Reuelantis Dei, qui veritas eſt, qui fallere neſcit. Quemadmodum ergo fidem *Motiuū formale fidei.* diuinam habemus firmā propter authoritatem illius, qui reuelat, ſic fidem humanam debemus ſimiliter habere ex authoritate reuelantium. Sic dum nobis Principes loquuntur, tenemur ipſos audire, & ex auditu credere fide humanâ. E coutra vero, quod vulgus loquitur, quod incerta fama balbutit, rumor ambiguus ſpargit nō tenemur adhærere nec auribꝰ nec corde, quia fallaciæ ſunt, authoritas nulla eſt reuelantis. Sic Parentes noſtri peccauerunt, quod Patrem Mendacij Diabolum audiuerint. Vnde fides noſtra, quâ Deo credimus eſt in ſatisfactionem eius, quod primi Parentes crediderunt Diabolo. Non ſolùm autem audire debemus

ſed

ſed etiam audiri. Vnde non niſi vera loqui tenemur, vt nos homines audiant. Debemus curare bonam famam & ſinceram, vt, cum illa de nobis loquatur, bene audiamus, bene ſonemus in auribus Dei, & in auribus Conciuium & hominum. Ne ſit in nobis hoc, quod male audiri & in vita noſtra & poſt mortem poſſit. Procul à nobis ſit loquacitas, obtrectatio, detractatio, quia per hæc homo bene non audit, ſed peſſime! Audiamus quid cæteri de nobis loquuntur. Si bene, curemus vt vera dicant. Si male, contendamus, vt falſa ſint, quæ dicunt. Non turbemur omni mala locutione de nobis, forte characteres noſtri exteriores dederunt occaſionē, forte excitamur ad bene agendum per malas loquelas. Recte cenſuit, qui dixit: Se plus debere inimicis quam amicis, nam inimici fecerunt me cautum in dictis & factis. Amici per diſſimulationem, per adulationes fecerunt me cæcutire ad imperfectiones meas. Melius eſt, vt tum de te malè loquantur homines, cum adhuc

Inimicis quandoque plus debem9 quam amicis.

huc corrigere possis, & efficere, vt benè loquantur. Si post mortem incipient malè de te loqui, amplius non erit tempus, malè semper audieris in posteritate, perpetua linguarum, fama tua, patietur tormenta.

APPENDIX.

VT Grammaticalia verba, sic hominum facta habent suos modos, quibus coercentur. Vnicum illum excludunt modum, quem verba admittunt, Modum scilicet Infinitum: nam hic soli Deo infinito in essentia, infinito in potentia competit. Nec est communis, nisi personis Diuinis in Trinitate.

Solus Deus est infinitus

Modus Imperatiuus absolutè etiam soli Deo competit, quia hic solus cum sit Creator, omnibus omnia imperare potest: & qui dat vniuersis rebus esse, dabit etiam si vult & posse. Habent & homines imperatiuos modos, quatenus sunt vices Dei in terris agentes: Sic Parentes possunt imperare his, quos generarunt, Magistratus his, quos gubernant; Re-

Soli Deo absolute competit imperium, hominibus vt Vicarijs Dei.

ges & Principes his, quos defendunt, tuentur & conseruant belli pacisque tempore. Hi omnes habent imperium super corpora.

Imperium animæ in terra est penes Papam

Imperium animæ & conscientiæ in terris, est penes vniuersalem Pastorem, qui est Papa, Vicarius Christi Domini, & Successor Petri, penes Episcopos, qui sunt Successores Apostolorum, & Anathema est, qui eos non credit Dei & Apostolicæ Sedis gratia esse factos Episcopos. Demum penes Parochos proprios. Tandem penes Sacerdotes omnes, qui cum Sacerdotali charactere accipiunt hanc potestatem, sed illam non exercent, nisi ab Episcopis vel à Summo Pontifice ad hoc vocentur. Potestas autem hæc est, quam Filius Dei dedit Principi Apostolorum & Apostolis: *Quidquid solueris in terrâ, erit solutum & in cælo. Quidquid ligaueris in terris, erit ligatum & in cælis.* Et alio loco dicit: *Ite & prædicate omni Creaturæ.* Ergò verum est, quod loco Filij Dei habent potestatem ligandi conscientias & animas Sacerdotes. Et quemadmodum Deus su-

premus

premus eſt animæ & corporis Dominus: Ita poteſtatis ſuæ vices diuiſit inter Principes Sæculares, & Principes Eccleſiæ. Hic tamen Vicariatus poteſtatis Dei ad certos modos redactus eſt: nam hoc imperium non extenditur ſupra vires naturæ, non extenditur vltra leges Diuinas & humanas. Sacerdotes non poſſunt imperare vt Chriſtus mortuo vel paralitico: *Veni foras, ſurge & ambula.* Nam Chriſtus erat Dominus naturæ. Et ſi Apoſtoli & alij Sancti ſuſcitarunt mortuos, peculiare erat priuilegium. Imperatiuus erat ergo modus Sacerdotio annexus eſt à lege Dei, & lege Eccleſiaſtica.

Poteſtas limitata.

Principatui vero imperandi modus præſcribitur á legibus & vniuerſalibus & particularibus ita, vt non prolibitu & pro ingenio imperantis, ſed pro lege, pro ratione, & neceſſitate Regni, imperium extendatur. Sic enim contra legem naturæ, ſi quis imperaret, vt populi ſeipſos occidant, bona ſua comburant, hoſti ſe dedant: Quis dubitat tale nemi-

Principes pro libitu non debent imperare, ſed vt leges præſcribunt.

nem

nem ligare imperium. Cum omne imperium debet esse ad salutem & vtilitatem populorum,

Optatiuus modus ad spes humanas pertinet, Nemo enim est, qui aliquod sibi bonum non optet. Et hic modus sobrius esse debet, ne optemus ea, quæ vires excedunt & conditionem. Plerumq; ea optamus, quæ in alijs videmus ignari defectuũ alienorum. Credimus cæteros feliciores nobis: Sic videntes diuitem, ignoramus eundem esse vel sanitate debilem, vel à suis non amari, vel successorum votis grauari, & millenis alijs incommoditatibus infelicem, qui videtur ex ea parte felix, quod sit diues. Defectus scientiæ in nobis id facit, quod ignoremus Deum summum rerum Arbitrum dona sua variè distribuisse, ita tamen, vt nihil sit ex omni parte beatum. Quia mundus hic non est beatorum sedes, sed locus certaminum, exercitium virtutis ad gloriam. Si ergo diceretur tibi: habebis diuitias æquales isti viro, sed necessum est, vt simul habeas infelicitates

Desideria hominum sæpe vana.

eius, quæ ipsum occultè premunt; fortè nolles. Sic recusares & Regni gloriam, si scires sub aurea corona latere plusquàm spineã. Ergo optatis tuis hic modus sit, vt scias, quantùm incõmodi ferat hoc quod optas. Ad instar ceparum sunt mundanæ res, officia & dignitates, primam si detraxeris corticem, sine fletu, quæ subtus latent, non aspices. Pulchra videntur multa, quæ non sunt; Bona creduntur quæ ita se non habent. Tamdiu optata quamdiu non possidentur. Cum possessione venit satietas, satietatem sequitur fastidium, fastidium generat tormentum. Hunc possessa torquet dignitas, sed hæc eadem alium optata allicit, & auiditatis humanæ magnetismo trahit.

Coniunctio animorum bona in Societate Ciuili

Modus Coniunctiuus in rebus est optimus. Si bene cognoscis tempus, cui te coniungas, si bene cognoueris homines, quorum societati, te adiungas. Huc pertinent omnes contractus politici & priuati, dum amicis perpetuis, dum vitæ socio coniungeris. In his tamen omnibus, vt sis con-

coniunctissimus Deo & mandatis eius, primæ esto curæ.

De Rudimentis.

VT literæ componunt dictionem, dictio multiplicata efficit orationem. Ita omnino homines, qui sunt litteræ, componunt dictiones operationum suarum, quarum ex multiplicitate consurgit totius humanæ vitæ ratio seu oratio, Deo hominibusque grata accepta, vel è contra. De hac ergo Oratione in Christiana Grammatica acturi dicimus: Vitæ nostræ orationem octo partibus constare: recensetq́; has. Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpositio, Aduerbium, Interiectio, Coniunctio.

De Nomine.

NOmen, quasi diceres notamen; id est: denotatio rei, & eius explicatio, quid sit? Scias ergo Deum vno nomine explicari non posse, cum enim sit infinitus in Essentia, in potentia, in duratione, in operatione; Non sunt verba, quæ exprimant tan-

tam immensitatem, nec conceptus qui capiat. Vnde dum à Deo sciscitaretur Moyses, qui esset? quomodo vocaretur. Respondit hoc tantum. *Ego sum, qui sum.* Quia cætera omnia sunt, quasi non essent, quia esse proprium non habent, sunt ab alio id, quod sunt, scilicet à Deo, fuit tempus quo non erant, & erit, quo non erunt. Sunt quidem sed transeunter; sunt, sed ex bonitate Dei, sunt nec per se subsistunt. Solus ergo Deus est, qui est semper, eritq; in perpetuas æternitates; qui est à seipso & in seipso: à nullo est, à quo sunt omnia. Cum ergo nomina damus Deo, vocando Deum à dando, vocantes Omnipotentem, Altissimum, Creatorem, Patrem; nunquam exprimimus id, quod est, sed explicamus id, quod facit. Tanta est eius Maiestas, tanta est nostra imbecillitas.

Solus Deus à se est omnia à Deo sunt.

Adam omnibus Creaturis dedit nomina, quæ rem & naturam illorum explicabant, quia habebat scientiam infusam à Deo, & erat Princeps rerum creatarum, quæ nomina in lingua

Chaldæa,

Chaldæa, seu si quæ alia fuerit prima, continebant naturam rerum. In æ dificatione turris Babilonicæ post quam secuta est linguarum diuisio, imposita sunt nomina rebus casualiter potius, quam scientificè, quod modo vocatur lapis, poterat vocari panis. Primum generis humani Principem secuti sunt primo parentes, qui imponebant nomina filijs ex sorte sua vel nascentium; & erant Nomina si gnificantia rem & statum, nomina explicantia conditionē nascentis vel genitorū. Hanc consuetudinem à Parentibus acceperunt Principes, qui hominibus certis ex officio dabant nomina. Hinc nati tituli, quotquot sunt modo in Statu Ciuili. Populus etiam. imo & singuli hominum habent sibi datam ex longo vsu facultatem dare nomina ex actionibus bonis vel malis. Sic hominem bonum, rectum vocant, cuius operationes bonæ vel rectæ. Hominem malum nominant, si ille se monstrauerit improbum. His suppositis scito, solum Iesu Christi nomen, quod ipsi Deus Pater per

Nomina rebus imposita casualiter in confusione Babilonica, in Paradiso scientificè.

Origo titulorum

Nomen Iesu est super o-

omne Nomen. Angelũ dedit, esse super omne nomẽ, & in hoc nomine omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum. In hoc nomine cælestium & inferorum genu adorat sapientiam Patris, Deum verum de Deo verò. Terrestrium verò adorat Seruatorem & Redemptorem suum, hoc enim nomen sonat & significat.

Cæterum in Orbe alia sunt Nomina Substantiua; alia Adiectiua. Nomen Substantiuum est nomen fixum, immobile, quod curare debemus, & tale nomen est Salus nostra in moralibus; securitas verò & felicitas, in Politicis. Hoc nomen ergo curandum nobis est, quia est nobis Substantiuum; sine quo, impossibile subsistere, perire necessum est. Cura salutis æternæ, est cura substantialis: Curatur autem salus per remedia à Christo Domino Saluatore Nostro nobis relicta. Sanguis eius pretiosus saluat nos à peccato Originali & actuali: Cuius participes nos reddimus per Sacramenta primi Baptismatis, quo abluuntur Originale

&

& actualia peccata, in quæ si iterum recidere contigerit, habemus secundas post naufragium tabulas, Sacramentum pænitentiæ. Cætera Sacramenta augent gratiam Dei in Statu hominis proprio. Omnia tamen in Virtute Sanguinis Domini Nostri Iesv Christi.

Post nomen Substantiuum Salutis æternæ, sequitur nomen alterum substantiuum Politicum Securitatis & felicitatis tam publicæ, quàm priuatæ. Hoc nomen quilibet hominum curare tenetur, quilibet Status, qualibet Prouincia & Ciuitas, quæ est tanquam nauis, mundus tanquam Oceanus. Si nauis ad Scopulos allisa, vel ventis concussa, vndis cooperta perit, necesse est perire omnes, qui in ea sunt. Vnde in Naui omnes Nauclero obediunt, omnes curant vela, restes, anchoras, curant fissuras, curant scissuras, curant ne aquæ ab extra intrent, curant ne ignis ab intra succendatur. In Naui Politica cuiuslibet Statûs, consilia sunt vela, quæ aspirante Deo, ducunt ad

portum felicitatis Rempublicā. Re-
stes & Claui sunt nerui, qui compa-
gem Nauis tenent, illi firmant ma-
los. Fissuræ & scissuræ sunt dissensio-
nes & odia personarum. Ignis ab in-
tra sunt bella Ciuilia. Aqua ab ex-
tra sunt hostes, qui conantur submer-
gere nauim. Ergo curandum est
hoc nomen substantiuum securitatis
publicæ, & ita curandum, vt nemo
se credat liberum à periculo, qui in
eadem Naui nauigat. Hinc Oratio-
nes Sacerdotum & populi sunt quæ-
dam ventorum coniurationes, ne na-
ui noceant, sunt inuocationes Spiri-
tus Sancti, qui afflatu suo implet
consiliorum vela, & promouet nauim.

Quæ in Statu Politico curanda sunt

Alia Nomina adiectiua sunt, quæ
vocantur mobilia, & sine Substanti-
uis nihil valent. Non enim habent
fundamentum, cui innitantur. Hæc
nomina sunt diuitiæ, honores, di-
gnitates, rerum affluentia. Hæc sunt,
quæ adijcientur nobis, si habuerimus
curæ Substantiuum Salutis nostræ,
alias quid prodest homini, si totum
mundum lucretur, ani-

Res mundi adiectiua sunt.

mæ

mæ vero suæ substantiuum amittat? Quid tibi cum mobilibus prætiosis in domo correpta flammis? quid cum honoribus & diuitijs in Republica pereunte, in Republica sine securitate? Ergo vides quod hæc sunt adiectiua, Illa vero Substantiua.

In Priuato Nomen Substantiuũ est sanitas quæ moderatione cibi & potûs seruanda est & curanda. Aliud Nomen substantiuum est Honestas vitæ, hæc obseruantiâ legum Diuinarum, rectitudine actionum, curanda & conseruanda. Cætera sunt adiectiua, sine sanitate quid gratum? quid non insipidum? quid charum in delicijs? quid pulchrum in possessiobus? Sine substatiuo honestatis? quid gratum hominibus â te orietur? Sis Sapiens, sis doctus, sis eloquens, sis pulcher, sis iucundus & facetus, si substantiuo nomine honestatis careris, vilipendio peribis.

Quæ curanda in statu priuato.

Alia sunt nomina Propria, quæ tibi soli seruiunt: ea habebis, si statui tuo & conditioni satisfeceris, Munus tuum bene ritéq; peregeris, ex his

virtutibus tuam & propriam habebis laudem & præmium.

Nomina Appellatiua sunt, quæ cum alijs habes communia, perquæ non distingueris ab alijs. Et hæc curanda, quia Societatis humanæ pars es, sine hominibus viuere non potes, ferum est, solum inter tot homines esse. Ergo curanda sunt Officia amoris, Officium vrbanitatis, cuilibet verba bona danda, Officia possibilia præstanda, prouocanda ciuilitas per ciuilitatem. Sit vultus explicatus, verbum in amicitiam promptum, in obsequium procliue, si quis te humanitate præuenerit, rubore suffundêre, quod sis victus. Si quempiam præueneris, lætare, quod viceris. Non magna laus est reddere danti, maior est si dederis prius, etiamsi cum dubietate reciprocationis. Nihil tibi decedet, si amicus non correspondeerit, erit tempus, quo erubescet suam duritiem. Tu intra plausus viues, & humanissimi hominis nomen merereberis, dum sic apellaberis. Scipio Africanus, quæ non meruit in Orbe

Modus agendi cum hominibus præscribitur.

Nomi-

Nomina appellatiua ex clementia & humanitate? non dum vigesimum expleuerat annum cum captâ nouâ Carthagine in Hispania inter illustriores captiuos viderit eximiâ formâ insignem vultum cuiusdam puellæ, dediceritque eam desponsatam fuisse egregio cuidam Iuueni hostilibus in Castris existenti, eam honestissimæ tradidit custodiæ, euocatumq; ex Castris hostilibus Sponsum ei integram captiuam suam vt sponsam integerrimam restituit. Et quia Parentes multam vim auri specie litri attulerant sponso, supra dotem concessit, & quo vellet abire, permisit; eâ victoris clementiâ non armis expugnatus Iuuenis & ipse, & multi similes, Romanas secuti sunt partes. Simili clementiâ captiuum Massanissam dimisit, perpetuumq; posthac Numidiæ Regem habuit amicum. Ea in hoc Iuuene Imperatore fuit continentia, vt nec formâ nec ætate caperetur; ea vrbanitas, & cum post victum in Hispania Asdrubalem Pennorum Ducẽ contigit, vt Scipio viam sibi in Africam

Probitas Scipionis Africani.

fricam paraturus, ad Syphacem Regem nauigaret, eodem tempore auxilia petiturus victus Asdrubal eò veniret; Rex verò Anceps dubiusque hæreret, quomodo semel Romanum & Carthaginensem Imperatorem vnum vicinum & victum, alium remotum & victorem tractaret? Scipio perplexitatemRegis intuitus, resoluit ancipitem, Scito ô Rex, Asdrubalem arma tenentem fuisse meum hostem, nunc quia tuus hospes est, vt ego, in vno lecto ad mensam accumbemus tuam, quieti & pacati: Quod vbi factum est, professus est Asdrubal victum se esse non solum armis, sed & humanitate, nec iam de recuperanda Hispania cogitandum sibi esse, sed de retinenda solùm Africa, vbi res sibi esset & cum armato, & cum tam Ciuili Imperatore.

Possessiua Nomina sint tibi cordi, sed illa, quæ veram possessionem ferunt, vt est virtus, quæ te virtuosum reddet. Virtus Christiana est actio vel opus formatum ad legem Dei, actio formata, ad legem hone-

ſtatis, morum, facit virtutem moralem; Ciuilem, ſi circa regimen politicum; Bellicam, ſi ad iuſti Martis leges effingetur. Sola poſſeſſio Virtutum, eſt vera poſſeſſio, quam nec hoſtis aufert, nec tempus vitiat, nec Mors ſeparat, hæ ſolæ poſſeſſiones nos ad tumulum & vltra tumulum ſequuntur. Opes reliquæ, latifundia, & poſſeſſiones, quas falſo nomine hæreditates vocamus, deſerent nos in cõfinio mortis, occupantur ab hoſte, deſtruuntur à tempore, ſubſunt calamitatibus; ſola virtutis poſſeſſio manet, te honorat in Terris, te extollit in cælis, & poſt fata nomen tuum viuere facit. Sine his poſſeſſionibus naſcimur, ſed eas acquirimus, alias per gratiam Dei, alias per exercitium conformationis cum legibus Diuinis & humanis. Poſſeſſiones vitiorum, ne ab eis voceris vitioſus, faſtuoſus, ebrioſus &c. caueto. Veræ poſſeſſiones non ſunt, nam potiùs hominem poſſident, quàm poſſidentur. Homo dum has poſſeſſiones habere creditur, Dominus non eſt, ſed

Sola Virtutum poſſeſſio eſt vera.

man-

mancipium vitiorum suorum & habituum. Compedes sunt & catenæ, quæ ducunt homines in desolationes corporis, animæ, & irreparabilia æternitatis damna. Quidquid autem Virtuti opponitur vitium est, Ergo si virtutes possidere bonum, à vitijs possideri pessimùm. Ita quamuis excidit Seneca possessione vitæ excidit possessione Auri & diuitiarum, hucusq; tamen non excidit animi tranquillitate, contemptu mortis, & tot virtutibus quas possederat; quia hæc sola possessio penes homines manet. Tot Successores obtinuerunt possessiones Regnorum Alexandri Magni, in titulum tamen Magni ex virtute bellica nati nemo successit, quia hæc possessio etiam post fata penes Authorem permansit. Lege æri lapidique incisa Epitaphia, non ibi leges. Hic iacet possessor tot millium florenorum, tot boum & equorum, tot pagorum & Oppidorum. Quia hæc omnia mors abstulit; sed videbis ea tantum recenseri, quæ etiam post fata supersunt.

Post fata manet gloria virtutis.

Latina Grammatica Distributiua Nomina, vocat ea, quæ multitudinem diuisam in plures partes distributam denotant. Grammatica Christiana & Nomina & res, dona & gratias Dei sapientissimè distributas ab æterna prouidentia veneratur. Quēadmodum enim Sapientia æterna Creatum Chaos in partes Seorsiuas diuidendo & distribuendo, tam augustam mundi machinam miro fabricatam ordine, contextam vicissitudine; sustentatam subalternatione ceu omnipotentiæ & sapientiæ suæ exhibuit typum, variorumq; motuum immutabili lege, syderibus cælestibus impressa, inenarrabilem edidit harmoniam; Ita propter salutem humani generis primo Ecclesiam suam militantem in terris pretioso sanguine filij sui redemptam, eiq; æterno coniugio desponsatam taliter ordinauit & distribuit, vt non omnes essent prophetæ, non omnes Doctores, sed hi ad hæc, alij ad illa vocari, sub vno Capite inuisibili in Cælis, Christo, visibili autem in terris vicario eius, Pe-

Ecclesia militans describitur.

tro & Successoribus eius; sub Aposto-lis & Successoribus eorum Episcopis. Et cum veteris Testamenti Ecclesia præfigurabat misteria & Ordinem nouæ; Ideo & in illa non omnia erant, quod ritè testatur Malachias dicens: *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Et ℣. 95. ad Sacerdotem dicit. *Sicut tibi decretum est à Maioribus, secundum legem Domini exurgens, explica, ad te enim spectat negotium, & nos tecum sumus, fac viriliter.* Erubescant ergo Nouatores, qui etiam populo imo & mulieribus legendarum & explicandarum sacrarum literarum concedunt facultatē contra legem Domini, vigore cuius, hoc munus ad Sacerdotem pertinet. Hinc iam vides, quod Ecclesia militans sit ordinata tanquam Castrorum acies, coadunata sub vno capite, distributa sub tot Episcopis Diæcesium, partita sub tot Parochijs in ijsdem Diæcesibus. Vides quomodo hæc Castrorum acies Dei, non ense sed Spiritu Dei decidit motas ab aduersarijs quæstiones. Vides quantopere erra-uit,

Nouatores confunduntur.

uit, qui non Monarchicum ſed precarium imperium voluit eſſe militantis Eccleſiæ, quaſi Spiritus S: non eſſet Deus, & non haberet abſolutè poteſtatem iubendi, quæ velit, ſed tantum facultatem rogandi: vt ſi velint homines, tum demum ipſi credant. Hinc vides in Eccleſia Dei vniuerſalem Epiſcopatum penes Romanam eandemq; Apoſtolicam Sedem; Primum Sacerdotium penes Epiſcopos; Penes Presbyteros ſecundum Sacerdotium, eo quod ſint vocati in adiutorium primi. Scies Sacerdotem id ſignificare quod Sacrum Ducem, qui Ducatus tanto præſtãtior eſt ſæculari iuxta doctrinam Chryſoſtomi & aliorum Patrum; quanto præclarior eſt anima corpore, quanto nobilius eſt ducere homines ad ſalutem æternam, quam ducere ad prælia. Epiſcopos iuxta Sacram Scripturam eſſ: Principes, id eſt: prima Capita docentia & gubernantia fideles. Vocari Antiſtites, quod ſtare debeant coram Deo ante Populum, pro eoq; deprecari ad inſtar Moyſis deprecantis, & iram

Eccleſiæ Regimẽ Monarchicum eſt, non precarium.

Ethymon Sacerdotij

K Dei

Dei mitigantis. Vocantur Præsules,
quod ad omnia pro Deo, pro gloria
Dei, præsilire debent vniuersis ad in-
star Salium Sacerdotum. Hac ordi-
natione præliatur Ecclesia militans,
quæ nunquam vincitur æternæ veri-
tatis suffulta promissis, quod & Spi-
ritum Sanctum assistentem habitura
sit ad consumationem sæculi, & quod
aduersus eam portæ inferi non sint
præualituræ. Ergo cum videas orbem
vniuersum ad pristinum rediturum
Chaos, nisi distributionem à Deo fa-
ctam seruent elementa; Quomodo
non venerabéris eandem ordinatio-
nem & subordinationem in Ecclesia
Dei, eandem muniorum & Officiorum
distributionem? quâ sublatâ Eccle-
sia Dei esset (Deus auertat) inferno
simillima, vbi nullus ordo, sed sempi-
ternus horror inhabitat.

Politicum quoq; Orbem à confu-
sione, ab interitu, vindicant distribu-
tiua nomina & munia, præstantissimo
naturâ, virtute animi, & corpore,
consensu Populi datum est Regnum,
Deo id probante, & cooperante pe

cau-

causas secundas. Et quia etiam præstantissimi hominis limitatæ sunt facultates, ita, vt solus vastum imperii corpus inter tot rerum vicissitudines, regere minime valet, nec solus omnia præuidere, nec solus omnibus sufficere; additi sunt illius potestatis sustentatores, regiminis adiutores, Consiliarij, homines sedati, experientiâ rerum probati, longo vsu exercitati, quia á senio Senatores dicti. Plerīq; seu per complexionem, seu per ætatem melancholici, qui humor est aptissimus faciendis reflexionibus, discernendis rebus, præcauendis euentibus.

Melancholici reflexi, prudentes.

Sed quia opus est exequi consilia, artem Marte fulciri: Robusti homines, selecti, & plerumq; cholerici temperamenti, quorum natura ardua suscipit, omnia audet, timere nescia, timeri desiderat: Ex talibus titulo Ordinis Equestris factum est præsidium bono publico tuendo. Cum autem & consultoribus & executoribus consiliorum deerat, qui commoditatum, sine quibus humana vita subsistere nequit, gereret curam, ad eam condi-

Cholerici militiæ apti.

tionem vocati ſunt mollioris condi-
tionis homines Sanguinei, qui com-
moditatum & ſuarum & alienarum
haberent curam, ijſq; mercaturæ e-
xercitium, & Opificia manualia, tum
& agricultura demandata, vt prote-
cti ab his, qui pro ſalute eorum excu-
barent, ſtipendiarias commoditates
iiſdem exſoluerent.

Sanguinei mercatores & opifices.

Quarta pars hominum tempera-
mento humidiori grauior, pacatior
& minus ſollicita, & minus apta ad
actionem Caſtrenſem vel forenſem,
rectitudinis tamen & honeſtatis ſtu-
dioſa, ad id adhibita, vt ei ſoli rei va-
caret, quatenus datori omnium bono-
rum continuas redderet gratias, mo-
deſto vultu, & cultu exemplari tem-
peraret actiuitates, in ſupradictas tres
claſſes diſtributorum hominum. Et
hæc eſt diuiſio generis humani, hæc
diſtributio temperamentorum in or-
dine ad conſeruandum Orbem Poli-
ticum: Cui ſtatim imminet confuſio
& periculum, ſi aut is, qui præeſt,
eminenti non præcellit virtute, aut ij,
qui vocantur ad Conſilia, aptiores
ſunt

Phlegmatici Sacris deuouentur.

ſunt ad bella, aut qui bellis deſtinantur, magis ad togam quàm ad ſagum ſunt nati, aut cum Sacro Ordini dant nomina, quos aptiores alia haberet vocatio, aut is ſubditi conditionem ferre cogitur, quem magis præeſſe vis mentis Enthea voluit. Reuolue hiſtorias, generis humani Annales, non alias bellorum Ciuilium & confuſionum Statûs videbis occaſiones. Vnde non eſt tam malignum in Politicis axioma, vt pleriq; credunt: *Diuide & impera*; niſi enim adſit hæc diuiſio, ut vnusquisq; temperamento ſuo conformem teneat ſtationem, fruſtra contendes imperare, nullum imperium, ſed potiùs confuſio erit. Ergo tempeſtiuè reflecte in Republica, non debere te omnia appetere, cum non ſis omnium rerum capax, etſi hoc de te credis, morbo philautiæ laboras: Si hoc tibi Amici dicunt, vis amoris rectum iudicium excludentis, vel opus adulationis eſt, potes enim omnia aggredi ſolus, ſed non omnia æquè exequi, niſi ea quæ tẽperamento tuo ſunt conformia. Inter hæc

Diuide & impera, quomodo intelligendũ

Inueniuntur homines vniuersales, sed raro. non negandum est dari quasdam capacitates vniuersaliores in hominibus, sed hæc ad instar Phænicis vel albi corui raræ sunt. Cum autem à principio diximus, in Ecclesia S. Deum voluisse certum Ordinem & subalternationem, & ministeriorum distributionem; Idem etiam in mundo Politico voluisse Deum vel ex hoc constat, quod non omnibus idem dedit temperamentum. Ergo non omnes omnia voluit agere, quia operari sequitur ad esse; Non omnibus eandē dedit voluntatem; quia si omnes imperare vellent, nemo esset, qui obediret; si omnes bellare cuperent, exscinderetur genus humanum; nemo esset, qui Deum Principem pacis veneraretur. *Non omnia possumus omnes.* Quale esset hoc corpus, quod esset vel totum manus, vel totum oculus, vel totum nasus. Ergo veneremur Sapientiam æternam etiā in Politicis. Alter alteri minimè inuideamus, cum alter sine altero felices esse non possumus. Quâm periculosè in corpore emineret caput, nisi præsidium à manibus præsto esset. Sic

qui-

quilibet in suo munere habet primatum, dummodo illud rectè exequatur; nemo obijciet manui, cur non prudenter feceris, neq; capiti, cur nō strenuè gesseris. Quisq; reddet rationem Deo & posteris ex suo Officio. Vides in corpore humano pedes esse infimos, quæ gloria tamen illorum? dum totum corpus sustentent firmiter, portent iugiter, profectò nec gloria capitis maior. Ergo inuidiæ malum facesset à corde tuo, non inuideas capiti, quod sit altius. Tibi & infimo dabitur supremum decus, si munus tuum ritè absolueris. Non respicis staturam altam, crines talis vel talis coloris, quia non ignoras ab animo non à corpore, à virtute non à colore hominis esse præstantiam. Cur ergo distributiuam Dei, cur distributiuam Regis non veneraris iustitiam, cum alteri aliud dedit non tibi, quia multa tibi tribuit, quæ alteri non cōcessit.

Quilibet suo statu sit contentus.

Moralis Mundus sine hac quoq; distributiua non subsisteret. Hic pauper sed vegetus; hic diues, sed infirmus;

Diversi hominū status,

mus; hic dominatur, sed in exitu vitæ; hic adhuc seruit, sed in florida ætate; hic sapiens, sed ille fortis; hic miser, ergo lege vicissitudinis sperat esse felix; hic fortunatus; ergo eadem lege timet esse calamitosus; hic habet ingenium sublime; sed hic judiciũ graue, ab illo laudatur, ab hoc æstimatur; Hic è magna familia oriundus, sed hoc tam magnificũ corpus non est sine vmbra; hic humiliori sorte natus, sed propriâ virtute assurrexit. hic ad imperium natus, sed fortè imperare nescit, ille melius obedire novit. Qui plura talenta accepit à Deo, ergo plurium reddet rationem. Tu minora, ergo expeditior eris tuo in calculo, nihil ergo est quod invideas. Habet ille amicos multos, sed forte non sinceros, tu paucos sed fidos. Quid ergo est quo turbaris? Divinum opus est hæc distributio, sive veniat à Deo, ut sapientissimam venerare; sive veniat ab homine, ut ex Dei voluntate proficiscentem adora. Dinumerati sunt capilli tui. Ille qui novit numerum arenæ maris, qui li-

brat

brat ventos, qui creavit omnia in numero, pondere & mensura. Ille in eodem numero dabit honores, in eadem mensura dabit qualitates, in eodem pondere divitias, quarum tu capax es. Melius te cognoscit ille, qui te fecit, quid ferre possis, quid non valeas. Orbis theatrum est, distributæ sunt scenæ populorum, imperiorum, personarum. Designatur unicuiq; tempus, prodeunt in theatrum certa serie, omnes gerunt impositas personas: ubi præfixa sonuerit hora, cedunt aliis. In lucro laudem & præmium, benè ritèq; gestæ personæ referunt. Quid ergo est, cur tristaris? Quid, cur tantopere lætaris? Quid, cur superbis de præsenti, mox theatro cedes.

Deus distribuit sua bona hominibus competenter.

Mundus theatrum est.

Rursus Nomina tria sunt æquè in Latina, ut in Christiana Grammatica, scilicet: Positiva, Comparativa, & Superlativa. Positivi gradus mereberis nomen, si omnes actiones tuæ fuerint simplices & reales in lege Dei, in disciplina Morali, ceu in firma petra positæ, dum omnia rectitu-

Sinceritas commendatur.

 dine

dine cordis Christianè tractabis, po-
nes fundamenta salutis, honoris, fun-
damenta æstimationis. Et ab hoc gra-
du nulla te dimovebit perversitas.
Ab hoc gradu nullus ambitionis ven-
tus, nullus turbo passionum deturba-
bit. Mira etenim est positivæ sinceri-
tatis & realitatis venustas ac forma,
hanc amant recti probiq; viri, hanc
pessimi & scelerati venerantur in aliis,
cuius ipsi laborant inopiâ. Vides, ut
candor hic in Africano, dum privatus
in prædio degeret, effecit, ut prædo-
nes & latrones non aliam ex eo quæ-
rerent prædam, nisi ut possent videre
& venerari tanti animi & tantæ posi-
tionis virum. Ad noscendum Livi-
um ab ultimis Gadibus veniebant
viri.

Mores ad normam magnorum virorum formandi.

Comparativus Gradus erit vitæ
tuæ necessarius, si eam comparave-
ris, & omnem actionem tuam cum
actionibus virorum proborum, cum
dictaminibus rationis, & per hos pa-
ralogismos videris, quantùm mores
tui distent ab hujus hominis probita-
te, & ab alterius malignitate, cura-
bisq;

bisq; esse hôc melior, ab illo longinquior. Comparabis exilitatem tuam cum Majestate Dei, impotentiam cum eius summa omnipotentia, & videbis, quantò ipsius magnitudine sis inferior, quantò ipsi debes esse subjectior, quantò obedientior & humilior, scilicet, quantò ille te altior, major, potentior, gloriosior. Reipublicæ si consulere volueris, comparabis eam cum vicinis & hostibus, si potentiorem videbis, generosiora dabis consilia, si inferiorem, moderatiora. Considerabis, quo distant tempora præsentia á præteritis, meliora ne hæc, quàm prima fuêre, an deteriora? Sic ex Cõparativo Gradu formabis semper meliora & dabis consilia. *Mala hucius militatu.*

Superlativus Gradus, quò celsior est, eò periculosior; Hoc enim frequenter peccatum superbiæ utitur, ut mentem tuam & ambitum supra cæteros efferat. Hic gradus causa fuit ruinæ tot Angelis in cælo, tot hominibus in terra. Si tamen hoc gradu uteris ad exaltandum Deum super omnia, ad amandum super omnia, ad colen- *Ambitionis mala enumerantur.*

colendum super omnia. Si hoc gradu uteris ad te exaltandum super omnia vitia, super nubes humanæ opinionis & turbidarum passionum, bene uteris hôc gradu. Si animum tuum parem Olympo, qui nubes excedit, per exercitia fiduciæ in Deum, & resignationis in voluntatem ejus ita extuleris, quemadmodum infra Olympum est quod pluit, infra quod tonat, infra quod fulminat, infra quod grandinat, supra quod continuo serenat, quod nullo movetur ventu, quod semper placidum, semper serenum, semper idem. Si Reipublicæ amorem in eo gradu conservaveris supra omnes privatos fructus, adhuc bene uteris. Si salutem animæ tuæ super omnia commoda exaltaveris, optimè uteris hoc gradu Si Regem & Principem tuum omnibus exoticis Diis fidelitate, cultu & veneratione extuleris, pulcherrimum fecisti & te Cive dignum Superlativum. Maturitate judicii opus erat, in formando gradu Comparativo, quô hæc cum illis necessum est comparare, ne

Publica commoda privatis ante ferenda. Cultus Principum laudatur.

Pigmæ-

Pigmæum Giganti compares, colossum trunco. At cum gradus Superlativus formatur, optimo ac supremo opus est Iudicio. Cum enim aliquid humani super omnia vis extollere, periculum est, vt si hoc proprio feceris judicio, ne aberres. Vnde nisi plurima habeas documenta, hunc hominem esse præ cæteris & supra cæteros talem; Rem hanc tantùm supra omnes valere, Superlativi nomen caveto. Roma virorum fæcunda bonorum, nonnisi unum Scipionem Nasicam reperit, qui Optimus est inventus, & ideo dignus, hospitio excipere Deorum Matrem. Præsens tamen sæculum, nimietate quâdam laborans, facillimum est ad formandos hos gradus, sive in bonum sive in malum. Datur venia erroneæ opinioni omnium, quæ quandoq; tibi sequenda est, ne solus sapere videaris. Cave tamen, ne proprio motu in talibus facias nova superlativa: Nam iniquo Comparativo unum alterumvé offendes, Superlativo verò omnes, quos uni ceu inferiores subiicis.

Consilia humana sæpe errori obnoxia.

Hyperbolica laus cavenda.

Super-

Honor Summo Pontifici & Principibus debitus.

Superlativum autem Ecclesiæ ut est Summus Pontifex. Superlativum Patriæ, ut est Rex; Superlativis honoribus & cultibus recole. Malus eris Grammaticus & iniquus, si honorem Positivi aut Comparativi gradus Superlativæ Potestati deferes. Animam verò tuam eiusq; salutem in Spiritualibus; in Civilibus autem leges Patriæ, in Moralibus probitatem vitæ Superlativo semper reponas gradu.

In negotiis magni momenti, præsertim verò circa administrandam Rempublicam, circa ordinandam cōscientiam tuam, hoc maximè curato, ne tibi Superlativam usurpes scientiam. Hoc enim non solùm odiosum tibi erit, si solus tibi sapere videaris: sed periculosum, si consilium tuum votivus non sequetur successus. Tum demum videbis sapientiæ tuæ exprobrantes illos, quos in communionem Consilii non vocasti.

Consilia aliorum audienda.

Esto, quòd omnibus de facto emineas rerum experientiâ, sagacitate ingenii, maturitate Iudicii; Nihilominus tamen recta jubet ratio, ut multorum audias sen-

sus,

ſus; vel propterea, quod diligentiùs executione ſe applicabunt, qui ad conſilia erunt adhibiti, non ſolus reſpondebis pro eventu, quia non ſolus dediſti conſilium. Vides vt præſtantiſſimi pictores, quibus varietas aliqua eſt repræſentanda, ipſi hoc tantũ pingunt, in quo omnium conſenſu eminent, reliquas partes picturæ alijs concedunt; ita, quamuis vnius pictoris vocetur imago, non tamen vnâ manu eſt elaborata, unus hominum effigies pinxit, alteri debentur flores, alteri ſylvæ & campeſtria, alteri demùm ab his omnibus diverſa, & tamen unius imago dicitur, uni tribuitur, quia majoris Sapientiæ eſt ea tantum feciſſe, quæ in Superlativo gradu poſſidemus; cætera alijs, in quo præſtant, reliquiſſe, quàm ſibi uni omnia arrogare. Adde quòd omnia noſtra Conſilia ſub cenſuram cadunt; ergo vt habeamus bonos Cenſores, participemus cum multis conſilia noſtra, ut potiùs, qui erant futuri Cenſores, fiant defenſores actionum noſtrarum. Mirum enim in modum homines o-

bligantur, qui se ab eminentioribus minime contemni credunt. Tandem eò perfectius tuum consilium, Si plures easq; diuersas aliorum perpenderis rationes. Non enim possibile est, vt uno tempore in omnem partem vertat se tua imaginatio. Forte illa hoc tempore incaluit, ergo callida & feruentia suggerit. Quo ergo temperabitur hic ardor, vt prævideas dubia, ut fortuitis consulas, vt hæc & illa impedimenta tollas, nisi diuersorum simul sententias, diversas opiniones audiveris?

Cultus Latriæ quid sit. Cultus in Deum, quem Latriæ Græci vocant, superlativus est iuxta Christi verbum: *Dominum Deum adorabis, illi soli servies.* Solum adorabis & soli seruies taliter, qualiter nulli rerum creatarum servire poteris. Ita vt quemadmodum Deus super omnia, ita, adoratio & cultus eius super omnes cultus esse debet, & hunc honorem Deus nemini dat, cum nemine partitur, quia Deus Zolotes est honoris sui. Caue ergo ne te prosternas in terram, ne procidas in vul-

tum

rum coram vlla re alia, quæ non est Deus, quia in his nostris Gentibus hæc sunt signa supremi cultus.

Cultus Hyperduliæ describitur.

Secundus Cultus est quasi Comparatiuus, græcè vocatur Hyperduliæ, qui Deiparæ Virgini debetur ex decreto S. Vniuersalis Ecclesiæ ante octo sæcula facto, & ex ipsius Deiparæ prophetia. *Beatam me dicent omnes generationes*, vt enim hæc Virgo dignum habitaculum Filij Dei efficeretur, tot gratijs est cumulata sola, vt nullus Sanctorum & Sanctarum, nullus Angelorum & supernarum Potestatum cum ea comparari valeat. Ita vt his omnibus sanctior, his omnibus gratiâ Dei plenior, his omnibus in cælis celsior facta sit. Hic ergo Comparativus Gradus in cultu hyperduliæ ipsi debetur.

Cultus Duliæ explicatur.

Sanctorum Cultus, vocatur cultus quasi positivus: Cultus Duliæ, quo cultu veneramur amicos Dei, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, qui viam peregrinationis suæ in mandatis Dei accurrerunt, absolverunt, pervenerunt ad Cælestia Regna,

huncq;

huncq; apud nos merentur respectũ.
Et quemadmodùm accepit in man-
datis Moyses, vt locum in quo stabat
Dominus, depositione calceamento-
rum veneraretur, quanta veneratio-
ne digni sunt, qui circa Thronum Dei
sunt, Os de ossibus nostris, sangvis
de sanguine nostro. Vnde vides quod
honor, quem damus Sanctis tandem
terminatur in eum qui illos fecit San-
ctos, scilicet in Deum, adeò vt mira-
bilis Deus sit in Sanctis suis. Frustra
ergo Hæresis hallucinatur detrahi
Deo, quod adijcitur Sanctis, cum
contrarium omnino sit, vt quidquid
honoris tribuamus amicis Dei, id fa-
cimus propter Deum, cui honorati
sunt amici iuxta Sacrum Eloquium.
In cuius conspectu pretiosa est mors
Sanctorum eius, qui custodit omnia
ossa eorum, quæ nos continuato tot
sæculorum tractu in Ecclesia Roma-
na habemus in veneratione tituloSan-
ctarum Reliquiarum. Cultus ergo
noster trifariam diuisus verus est, san-
ctus est, quo ad cælites: Et falsò obij-
cit Hæresis Idololatriam, qui non

Confutatur Hæresis de invocatione Sanctorum.

tri-

tribuimus eum cultum Sanctis, qui Deo debetur. Imagines Sacras vt codicem Sacrum, verba scilicet picta, vt verba scripta honoramus; Sic exempli causâ, dum quæro ex hæretico? Quomodo intelligat illud Sacrum eloquium? *In Nomine IESV omne genu flectitur.* Respondebis mihi, quod illa genuflexio debetur Christo, non quinq; literis quibus Nomen IESUS exprimitur, aut voci articulatæ, nam literæ sunt atramentum, vox verò est verberatio aëris. Vlterius interrogo Coram quo moues pileum de Capite, dum hoc nomen audis vel legis Hæretice? Non respondebit quod coram ipso IESU, nam tum temporis procidendum est in genua, quod & Angeli faciunt & infernus; ergo fatebitur levem illum pilei motum dari honori voci scriptæ vel prolatæ, quæ revocat in memoriam ipsum IESVM. Hine iam necessum est, vt fateatur Ecclesiã Sanctam id ipsum agere. Imagines pictas non eo cultu habere, qui debetur Originalibus seu significatis earum, sed imaginibus haberi honorem *Imaginum Cultus.*

aliquem

aliquē propterea quia significant rem Nobis venerandam. Cæterum vt Hæreticus impietatis argueret eum, qui acceptis biblijs ea laceraret, vel ea ex Ecclesia eijceret, & odio haberet Bibliociastas: Ita Sancta Ecclesia Iconoclastas damnat quòd sæviendo in res significantes, iniuriosi sunt in res significatas. Temeraria autem est obiectio; quod dicunt Agrestes & simplices homines, imagines vocare Deiparam vel Iesum, nam nemo eorum est tam insipiens, vt nesciat imaginem esse pictam à pictore, & venditam, Iesum vero & Sanctum, quos repræsentat esse in cælis, ibi viuere, imaginem vero mortuam, & nihil sentientem.

Cultus Civilis qualis esse debet.

Sequuntur Cultus Civilis & Politici post sacros. Sic Cultus superlativus debetur supremis Principibus, cuius signa sunt præscripta à Gentibus modò incuruatione genu, modò flexione totali, modò inclinatione profundâ, quæ signa nihil aliud monstrant, nisi quòd homo incli-

nando genua ſtaturam ſuam minuat coram eo, quem maiorem ſe confi tetur. Pilei verò depoſitione monſtrat Caput ſuum ſubalternatum, & denudatum debere recognoſcere ſupremum Caput. Eò ſpectant ſuggeſtus & altitudines throni; quibus eminentia imperantium exprimitur. Alio cultu minori exeoluntur proximi Maieſtati Cives, quo cultu cæteri recompenſant labores, & faſtigia regiminis ac miniſteriorum publicorum.

Tertij Cultus, ſunt amici cultus inter pares, quo dextra dextræ iungitur in ſponſionem mutuæ fidei & beneuolentiæ, & vt his cultibus nil præiudicatur Cultui Dei, ita nec cultus Sanctorum, præiudicat Cultui Dei. Cæteri cultus filiorum in Patres, in Præceptores, ſunt ſigna, gratitudinis pro acceptis beneficijs. Hoc tamen neceſſum eſt ſcire, quòd dum dicit Scriptura: *Honora Patrem & Matrem.* Et alio loco dicit: *Præsbyteri duplici cultu honorandi ſunt.* Non in-

intelligantur solum Cultus humilia-
tionis, depositionis pilei, sed intel-
ligitur quod verba Hebræa expressè
sonant, succursus bonorum quo e-
gent in necessitatibus suis tam carna-
les Parentes, qui genuerunt in vi-
tam temporalem, quàm Presbyteri,
qui generant in vitam æternam.
Vnde donum rectè vocatur hono-
rarium.

De Pronomine.

PRonomen est illud, quod pro nomine ponitur. Grammatica Latina, dum pronomina admittit, usu loquendi se excusat. Christianus verò homo, qui veritati studet, plerumque ea vitare deberet, ne unum pro alio ponat, malum pro bono, vel bonum pro malo nisi sit æquivalens, quod ponitur nomen pro alio.

Veracitas Christiani pronomen est.

Pronomina alia sunt Primitiva alia Derivativa. In mundo univers

unicus

unicus est Deus Primitivus omnium visibilium & invisibilium, qui est ante sæcula, fons & origo rerum, factor cæli & terræ. Qui omnia creavit sub pondere, sub numero & mensura, qui dinumeravit arenas maris, qui ponderat ventos, & in digitis omnipotentiæ suæ appendit Orbem.

Deus primitivus omnium.

Ideò cum Ecclesia dicamus ad Deum: Sine tuo Nomine nihil est in homine, nihil foris, nihil domi, ita, vt ne Gentiles quidem hoc ignorarent; ideoq; quælibet domus Patriciorum & Nobilium habebat sua sacra, prout nos videmus antiquos Gentis nostræ Patriarchas non contentos fuisse ijs templis, quæ pietas Regum extruebat, nisi illi quoq; in suis pagis id ipsum facerent. Et quemadmodum Romana olim Nobilitas, sic & Polona non magis se armis à plebe distinguebat, quàm sacris, in pagis suis, ædibus. Romanorum Consilia publica plerumq; in templis fiebant, vt reuerentiâ loci excluderetur à consilijs omnis impietas, vt religioni conformarentur rationes status, vt scire-

Quælibet domus Gẽtilium habebat suos Deos.

mus nil nos sine Deo bene consulere,
& bene exequi posse, ita vt Augustus
Cæsar legem faceret, nullum Senato-
rem ad Senatum venire, nisi lotis ma-
nibus, quâ lotione designabatur mens
intaminata, & postquam venit ad Se-
natum, non prius consuleret, nisi Deo
illi, in cuius æde consulebatur, Ora-
tiones, supplicationesq; fierent thure
meroq; litato. Quanta pietas in Æ-
thnicis hominibus! Verior tamen in
Maioribus nostris, qui Comitiola &
Comitia in Palatijs Regum nata, pro
formatione & quasi educatione ad
templa, vbi peraguntur Comitiola, &
Comitia inchoantur, remittebant, eo
fine; vt Deum in mente haberemus,
dum de conseruanda eius fide & Ec-
clesijs consulimus; vt charitatem mu-
tuam conseruaremus, quàm in tem-
plo docemur; vt fontem baptisma-
tis in templo respiciamus, ad quem
nomina Christo dedimus, & pompam
sæculi eiurauimus; vt in memoriam
nobis prius veniat Euangelij & Sacræ
Scripturæ doctrina, quâm Pseudopo-
liticus Tacitus vel Machiauellus; vt al-
tare

Consilia Poloni in Ecclesia formăt & quære.

tare respicientes credamus nos Sacrificium offerre Deo & oblationem mundam, dum Patriæ consulimus; Vt in eadem Ecclesia profiteamur, nos esse vnius Matris filios; vt Matrem nostram honoremus in Consilio, vt Sacras eius immunitates tueamur. Hæc ergo causa est, cur in templo instruimus Nuntios terrestres ad Comitia.

Deriuatiua sunt omnes creaturæ, quæ tanquam riuus à fonte suo prodiere. Omnia ergo quodam modo sui fontis saporem, dulcorem & nitorem repræsentant. Homo cum sit præstantissimus riuus, princeps rerum creatarum, tenetur limpidissimum fontem suum tanto magis repræsentare, tenetur altum tenere gurgitis, nec arenas humiles verrere, nec limo, aut vligine vitiorum mundanorum deturpari, & reacquisitum Crystallū siue per Sacramentum baptismatis, siue per secundum Pænitentiæ, non amplius ad terrena applicando, conseruare. Tenetur ad Oceanum æternitatis recto cursu decurrere, nec ex- *Creaturæ perfectionē suam à Deo deriuant.*

 tra

tra ripas legum Diuinarum & humanarum, in stagna & cœnosas vligines exundare.

Suprema potestas legũ est primitiuum in Politicis.

In Politicis Primitiuum nomen est Caput Regni, vel quæcunq; est suprema potestas legum, Regum. Primitiua sunt respectu inferiorum, quamuis in re ipsa respectu Dei sunt deriuatiua: quia quâ homines, sunt deriuati ab illo, tanquam à Creatore suo: quâ Principes, deriuatam ab eodem accepêre potestatem. Humana ergo & Politica Primitiua debent curare & cauere, ne ex fontibus actionum suarum aliquid tale erumpat in riuos, quod iniustam, quod scandalosam, quod turbulentam, male sanam faciat deriuationem. Tales enim riui plerumq; sunt, à quali fonte prodeunt. Vnde scriptum est de Rege id est de fonte: *Omnis boni exempli Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*

Magistratus & Ciues ad normã

Deriuatiua Ciuilium Primitiuorum sunt inferiores Magistratus & Ciues, qui curare debent, eum conseruare saporem tam scientiarum, quam morum, quem prima legum & Regi

dedit

dedit ſcaturigo. Quam rariſſimè debent riui externis commiſceri corporibus, ne inficiantur; nulli adhærere ripæ, ſed ad mare felicitatis ſuæ decurrere. Si Riuus à fonte ſuo recedens, in plures diſtrahatur riuulos, eũ neceſſe eſt mox perire. Si Ciues in plures diſtrahantur factiones, & tanquam fluuius Gynges in trecentos Alucos diductus; neceſſum eſt, vt cõmunitatis eorum riuus diſpereat. Quo magis deriuatæ à fonte vniuntur aquæ, eo maiori impetu feruntur, nec eſt obex, quem non tollant. Sic omninò Ciuium virtus vnita, nihil imperuium habet, & proſpero curſu ad Oceanum gloriæ & felicitatis labetur. Vt paruus riuus acceſſione multorũ, augetur in magnũ fluuium; Ita coniunctione armorum & Conſiliorum cum ſocijs, validæ efficiuntur Gentes, Regna & Imperia. Si verò paruus riuus magno iungitur fluuio, neceſsũ eſt eundem abſorberi & perire, & proprium nomen amittere. Sic omnino ſi cum Potentiori iungaris fœdere, illum augebis, te exinanibis. Firmiſſima inter pares amicitia. In

legum firment actiones.

Primitiua Christiani & Politici Orbis peccata sunt, superbia & ebrietas.

Inter Primitiua tam Christiani quàm Politici Orbis peccata ritè censentur Superbia, & Ebrietas. Tot enim ab vtraq; scaturigine erumpunt riui. A fonte Superbiæ deriuatur in Deum, in Ecclesiam, in leges, in Principes, rebellio, seditio, ruina, contemptus humanarum & diuinarum rerum deriuantur. A fonte Ebrietatis malesana Venus, non ex spuma, vt fabulantur Poetæ, maris, sed vini nascitur. Hanc sequitur cæcitas mentis, obstinatio, diuitiarum profusio, paupertas, morbi, & quod his succedit, contemptibilitas.

Cognitio sui vtilis.

Primitiua nomina sunt. Ego, Tu, Ille, quæ memoriâ tenenda sunt vnicuiq;, vt de se dicat: Ego quis sum? qui & qualis sum? Non sum talis ex me, sed ab eo, qui fecit me? Ego sum ex parte animæ immortalis, ergo mihi æternitas in mente est habenda. Ex parte carnis sum fragilis, ergo opus est nosse infirmitatem propriam? Sum ex nihilo, in vermes & cineres conuertar. Dicam putredini: Pater meus & Mater mea es, & soror

mea

mea vermibus. Ego ſum Ciuis. Cur ergo publicæ rei non ſtudeam? Sum à Deo conſtitutus, habens villicationem; Cur ergo non viuo, vt redditurus rationem?

Tu: Primitiuum eſt, quô alloquor proximum dicens: Tu homo es vt ego, Cur ergo nos ad inuicem perſequemur? Tu Chriſtianus es, tu eiusdem Corporis Chriſti es membrū; vt ego, tu eiusdem Eccleſiæ filius vt ego, tu pretium Sanguinis Chriſti habes in te, vt ego. Tu ciuis es vt ego. Cur ergo nos ad inuicem non amemus? cur diſſidemus?

Pronomen Ille dicit: Ille eſt vir bonus, cur ergo eum non imitamur? Ille eſt vir malus, cur ergo illum non declinamus? Ille eſt Princeps noſter, cur ergo illi non obedimus? Ille eſt protector noſter, cur ergo ipſi pro bono reddimus malum? Ille dicitur talis, ſed quis ſcit an ita eſt? Quis ego ſum, vt illum iudicem? quis me conſtituit Iudicem ſuper ſeruum alienum? qui Domino ſuo ſtat, Domino cadit.

Deriuatiua Nomina ſunt, quæ magnus ille Doctor Eccleſiæ, vocauit frigida verba: *Meum & Tuum*: Quæ lites, quæ bella ex illis non naſcuntur? Ergo conſideranda hæc verba, quam vana ſunt, quàm impropria, quàm vſurpatiua. Solus Deus dicere poteſt: Mei ſunt cæli, mea eſt terra. Tu vero ô homo, quomodo dices? hoc eſt meum, cùm tu ipſe non ſis tuus, ſed alienus. Deus tibi commodauit quando voluit, hoc quod tenes; repetet à te, dum voluerit. Quod ergo commodatum eſt, non eſt tuum, Deus ex alienis manibus accepit has diuitias, vt tibi commodaret eas: Quotieſcunq; illi placuerit, vel diuitias à te repetet, vel te à diuitijs accipiet. Ludit te ergo verbum iſtud, dum tibi perſuadet, quod habes aliquid tuum. Quomodo Tuum? ſi ex minimo quod accepiſti, redditurus es rationem ſtrictam Deo Iudici, & vero omnium rerum Domino. Non potuiſti tibi dare teipſum, multo magis non potuiſti dare aliud & diuerſum à te.

Meum & tuū cauſat lites & bella.

Solus Deus eſt Dominus rerum.

Nos nil propriū habemus.

In Statu Ciuili, quomodo dicis mea est Respublica, cùm tu potiùs sis eius Ciuis? Quomodo dicis mea est libertas? cum sit omnium, non tua, solius. Quare tibi approprias vni, quod omnibus seruit. Libertas Bonum Publicum est. Priuato non competit soli. Tu tamen vteris vt tuâ, quia illam conciuibus negas, dū Tuæ libertati illos seruire cogis, dum vis, vt faciant, quod tu vis, & quod illi nolunt. Omnis autem vsurpatio peccatum est, quia est alienæ rei subreptio.

De Verbo.

SVpra dictum est. Verbum mentis, esse primam cogitationem: Verbum Oris, esse imaginem internæ cogitationis. Denique verbum accipi pro facto in Sacris Literis. Cùm enim omnis actio externa, indicat internam Constitutionem Nostram, externaq; operatio sit imago interioris hominis, rectè dicitur & vocari potest verbum omnis actio. Vt ergo verbum, quod siue à vero, siue à

verberatione aëris ducit originem, est in Grammatica Latinitatis pars Orationis; Ita in Grammatica Christiana verbum Mentis, verbum Oris, & verbum actionis, est pars vitæ humanæ, quæ modos habet, quibus circũscribitur, vt sunt leges humanæ & diuinæ. Habet tempora, quibus dirigitur, vt est tempus bellandi, tempus in pace sedendi, tempus quiescendi &c. iuxta doctrinam Spiritûs Sancti. Adeo verba vitæ seu Operationes sunt temporalibus alligatæ, vt maxima pars prudentiæ sit scire tempus, quo aliquid agas. Sic qui totum vitæ suæ tempus impendit, vt studeat, intemperantiâ studiorum laborat. Nullum fructum ex studiis adfert; est enim certum tempus studendi, certum tẽpus studia practicandi, vt quod didicisti facias, & alios doceas. Sic qui tota vita nihil ageret, nisi lapides & calcem congereret, nec daret tempus reducendi ad formam ædificij prædicta materialia, & post hoc tempus nõ daret tertium, quo possit & valeat eo ædificio vti, & in eo commorari, con-

Lex humana & diuina regula actionũ humanarum

Tempore vtendum prudenter.

tra leges prudentiæ peccaret, quàm maximè. Ergo nec toto vitæ tempore honores quærendi, nec toto vitæ tempore diuitiæ & opes congerendæ, nec toto vitæ tempore publico viuendum, vel priuato insudandum. Hæc demum sunt vitæ nostræ verba, si tēpore discernantur, tempori aptentur.

Vt Grammaticæ Latinæ, ita Grāmaticæ Christianæ duplicia sunt verba: Personalia & impersonalia. Personalia verba sunt Actiones, quas hic vel ille homo personaliter facit, hæc verba, Authores suos habent, negari non possunt; ex his ratio reddenda Deo & Patriæ, præsenti sæculo, & posteritati. Vt enim Deus habet verba actionum nostrarum in numerato, ex quibus rationem reddituri sumus in districto eius iudicio; Ita quidquid agimus boni uel mali, videt posteritas, quæ censorio calamo & oculo nos sequitur. Nihil est occultū quod non reueletur. Demus actionibus nostris colores plausibiles; fallemus quidem amicos, qui omnia bona facilè de nobis credunt; Non fallemus

Ex verbis & factis Deo ratio reddenda.

inimi-

inimicos, qui scrutantur, rimantur verba actionum nostrarum; ex quibus citamur ad Tribunal famæ, quæ judicat. Citamur ad tribunal posteritatis, quæ rependit & pœnas sumit de nomine & familiâ tuâ. Ergo in omni actione ita nos comportemus, tanquam rationem reddituri.

Impersonalia sunt actiones factæ, quarum Authores non nominantur, eo quod vel ex modestia latere cupiunt, dum benè faciunt; quod est rarissimum. Vel quod frequentius est, cum illæ actiones non sunt rectæ, commissæ contra leges humanas vel diuinas; à suis Authoribus abnegantur coram hominibus, etsi negari non possunt coram Deo, qui solus est cordium humanorum scrutator. Vnde hæc verba, quæ apud homines sunt impersonalia propter ignorantiam, apud Deum omnino non sunt talia qui scit personas & earum operationes intimas. Verba operationum alia sunt Actiua dum benè vel malè agimus. Alia verba Passiua, dum bonum vel malum sustinemus. Quam

Qui malè agit latebras quærit.

Deo omnia nota.

diu

diu enim in hoc mundo viuimus, tamdiu ſumus obnoxij hominum beneuolentiæ & maleuolentiæ, viciſſitudinibus rerum mundanarum, caſibus & infortuniis, proſperitatibus & infelicitatibus. Quæ omnia forti animo ferre debemus, ne in proſperis efferamur, in aduerſis deprimamur, nam nec hæc, nec illa perpetuò durant. Afficitur lætitiâ cor tuum, tempera eam metu venturæ poſt felicitatem aduerſitatis. Quoties te ſors aduerſa preſſerit, lenire eam memento recordatione, venturæ proſperitatis, vt enim diem clarum nox atra ſequitur; ita ex obſcura nocte clarus indeſeſſa viciſſitudine oritur dies.

SCHOLION
de Paſſionibus.

TAm ſtricta inter corpus noſtrum vt ſubiectum, & animam ſpiritualem vt formam intercedit vnio, vt vnum alterius patiatur impreſſiones. Impreſſiones quæ ab anima in corpore fiunt, vocantur pathemata animæ. Impreſſiones quæ à corpore ad animam procedunt, vocantur paſſiones corporũ.

poris. Iam supra dictum est, quomodo species rerum per sensus particulares eundo, conueniunt & congregantur in sensu communi per spiritus animales & vitales delatæ: Qui spiritus nihil aliud sunt, nisi subtilissimæ partes sanguinis, flammæ ignis simillimæ, hâc differentiâ; quod spiritus vitales in corde nascantur & inde distribuantur: Spiritus autem animales plus habent auræ seu aëris subtilissimi, quàm ignis; Ideo vterq; spiritus est velocissimus, arctissimos corporis permeans poros tubulosq;. Hi spiritus dant motum partibus corporeis, exempli gratia, hunc musculum subintrant, distendunt in latum, contrahunt in longum, ita, vt dum se musculus contrahit, contrahitur pars corporis, cui idem musculus est insertus. Iterum cum anima determinauerit hos spiritus, vt ex hoc musculo exeant, & ad musculum Antagonistam se conferant, tum ille denuò dilatatur in latum, abbreuiatur in longum. Ille verò prior dum euacuatur, attenuatur in latum, & prolongatur in longum, sic denuò pars corporis retrahitur in aliam partem, priori q; redditur situi. Hoc supposito, sciendum est, animam determinare spiritus prædictos, vt hunc potius

Spirituum vitalium descriptio.

tius vel illum musculum petant. Hinc voluntarii animæ in corpore motus videntur ire huc, ire illuc. Si autem species illæ à sensibus particularibus crebriùs ad communem sensum veniant, frequentioresq; spiritus eò deferantur; eorum copiâ incalescit imaginatio: quâ incalescente, & continuo spiritus ad illos musculos mittente per neruulos circa pinariam sitos, fit, vt ora seu oscula illorum neruulorum minimè claudantur, sed aperta continuò recipiunt spiritus, & ad musculos deferunt. Hinc oritur habitus cum passione tali, vt necessum est animæ luctari cum spiritibus, & quatenus impedit, vt & ora illorum neruulorum claudantur, & spiritus in ea non influant, qui ad cor, quod est musculorum maximus, præcipuè feruntur, vel ad alia maiora vasa, in tantum, vt passio hoc loco nihil aliud est, nisi incalescens imaginatio, & continuo fluentes ad cor spiritus per aperta illa neruulorum ora: indeq; rectè recenseri tales passiones inter morbos corporis, vt defacto sunt tales, turbant enim totum corpus, turbant sanguinem, vel nimio calore dilatantes cor, vel coadunato in præcordiis eodem sanguine, opprimunt, functiones facultatum turbant,

quod

quod videre est in corporibus passionatis, erubescunt, pallescunt, agitantur, torpent, calent, frigent, pro diuersitate motuum sanguinis. Et hoc est genus passionum corporearum, quarum duplex est medela;

Medela contra passiones corporis.

Primo, si anima rationalis abripi se non patiatur sanguineis his tempestatibus, sed teneat clauum, deriuet spiritus in aliam partem, ne cum tanta vehementia affligant affectam regionem; etsi anima adiuuante gratiâ Dei vicerit, hosq; motus composuerit, habet præmium apud Deum. Aliud remedium est Physicum, estq; duplex: Morale & Medicinale. Morale; si occasiones omnes vitentur, ne iterum turbatrices spirituum species sensibus particularibus præsententur; scilicet, ne videatur nec audiatur persona, cuius species causarunt hunc disordinem. Vt mutemus locum, in quo hæc vel illa facta sunt, vt occupationes alias præsertim verò contrarias assumamus. Vt finem rerum consideremus, vt deformitatem actionum horreamus. Medicinale primò consistit in dicta abstinentia à copia ciborum, à cibis calefacientibus, à potibus spiritus generantibus; Ieiunium, quo spiritus generati consumuntur, & alii defectu ciborum non generan-

neruantur, ut sic imminuti facilè ab anima comprimantur: Secundò est Phlebotomia, euacuatio sanguinis, unde generantur spiritus & hôc imminuto diminuuntur: Tertio Pharmacopea, dum per simplicium seu compositarum medicinarum sumptionem temperantur spiritus, dissipantur & atteruntur, acrimonia eorum mitescit, & similia. Et hæc de Passionibus corporeis.

De pathematibus animi pauca dicemus, eò quod sint difficilliora ad cognoscendum & explicandum. Dictum est supra, Animam postquam speculata fuerit phantasmata seu imagines sensûs communis, format sibi species intelligibiles seu imagines, magis subtilitati suæ proporcionatas eo ordine, ut postquam unam imaginem formauerit, exempli causa Patris, format secundam filij, propter connexionem utriusq; & hic est animæ discursus, cum per connexam imaginum seriem amplius & amplius procedit; tandem ubi deuenerit ad aliquam imaginem, quæ sibi damnosa & præiudiciosa videtur, denuò plures species intelligibiles & connexas format, ut excutiat illam, quæ sibi nociua vel summè appetibilis videtur: Et quia species intelligibiles for- Pathemata animi describuntur.

 mare

mari nequeunt, nisi ad normam specierum sensibilium, quæ sunt in imaginatione: Ideo imaginationi necessum est prius acquirere à sensibus externis tot species, cum quibus iterum multi spiritus coaceruantur in communi sensu. Sic animi pathemate mouetur corpus, quia concentrantur spiritus, qui incendia excitant. Ergo vt prius vidisti qualiter corpus animam mouet, & ei symphtomata sua imprimit, ita nunc vides, quomodo corpus patitur ab anima tanto periculosius, quanto certius est, medicinalem scientiam non suffragari ægritudinibus animæ. Ne tamen incurabilem credas morbum Scito; ingerendæ sunt species scientificæ, quæ procedunt ab authoritate magnorum virorum, vt his habitis anima seipsam curet, alterius generis formando seriem specierum intelligibilium, & priores deserendo.

Passiones magis quã morbi vitandæ.

Ergo passiones tanquam morbi vitandæ tibi erunt, & si superuenerint, omnino curandæ; quodq; febricitans agis, hoc agis passionatus, vt morbum excutias eo periculosiorem, quo suauior à passionato censetur, quàm febris à febricitante, & hoc ideo fit plerumq; quia febricitanti statim interdicuntur munia Reipublicæ, inhibetur exi-

tus,

tus, lectus sternitur, nemo infirmitati eius blanditur, omnes vno ore cupiunt proturbare malum; Passionum verò infirmitas occulta est, habet multa blandimenta ab amicis, habet suffragia populi, militum, vulgi, accessusq; ad dignitates non occlusos, habet multa specie veri & famulante ratione, non excluduntur passionati à muniis Ciuilibus & Reipublicæ. A multis creduntur sani. Rarus est qui velit esse medicus suauiter sæuientis mali. Hinc est quod licentiosiùs furat passio, quàm febris, etsi ab eadem non differat.

Ut autem veritas hæc dilucidiùs explicetur, scito, quàm plurimas passiones oriri non à reali malo vel bono, sed ab opinatiuo, & solam quandoq; opinionem esse multiplicis in vita calamitatis fæcundam parentem.

Orbis terrarum diuisus erat in duas opiniones: vna Opinio suadebat luctum & lachrymas deberi nascentibus hominibus à parentibus, consanguineis, & ab amicis, quia homo ipse cum lachrymis nascitur: Ergo lachrymæ lachrymas prouocant, quia homo nascitur ad multas calamitates, ad morbos dolorificos, ad casus & infortunia, Duplex opinio mundi de natiuitate hominum.

 ad

ad miseriam & patientiam, relinquit statum, qui natiuitatem præcedebat sine omni prorsus molestia & sensu malorum, & ingreditur stadium viamq; tot periculis obsitam, tot mœroribus stratam. Hinc magna pars mundi natiuitatem deflebat, funera gaudiis condecorabat, quod emenso procelloso vitæ freto ceu subducto tot tempestatibus, Scyllis, & Charybdibus nauigio, securum teneret portum, extra metum spemq; poneretur, imperio Tyrannorum, rigore legum solueretur, viam peregrinationis finiret, sic mos inter gratulantium cœtus hilaribus excipiebatur plausibus. Altera pars mundi contraria Opinione imbuta, luctus funeri, gaudia natiuitati seruabat, eò quod in natis renasci parentes crederentur; dignitas familiæ & nominis, tum fortunarum sustentaretur moles, & à casu vindicaretur; Eo quòd natus, Rempublicam obsequio, Ciues officijs, seipsum meritis cumulaturus crederetur; eò quod Parentes habituri essent, à quibus senectutis fulcra expectarent; à quibus sibi vices rependerentur, per quos defenderentur ab iniuria. In funere verò considerabant iacturam supradictarum rerum, orbitatem grauem periculis expositam, incertitudinem

suc-

successoris, & his similia. Inter tot problemata, si educatus esset homo ita, ut non videret nec fletus in funere unius partis, nec gaudia alterius, expers profectò esset & gaudij & doloris, quæ passiones per contagium habentur, & contagio crescunt: Nam qui inter ridentes funeratores educatus, damnabit luctum funebrem: E contra inter flentes circa funera educatus damnabit & indignabitur cum illo Pòëta risum.

Exigis ut Priamus natorũ funera plangat
Vel Niobe festos ducat, ut orba Choros.

Ergo conclude nonnisi longo tempore post prævaluisse opinionem circa funera lugentium. Restare tamen adhuc Nationes anterioris sectæ. Ergo quod problematicum fuit & est, vix naturale dici potest. Ergo quod ab opinione est, potest prudentia recta magna ex parte sanare. Plura dicamus in confirmationem rei: Nonnè verùm, consuetudines eas in Americanis Prouinciis repertas, ut capti bello homines assarentur ad ignem, ita tamen, tranquillâ mente, ut doloris sensum sereno vultu ferrent, ut prouocarent adstantes ad scindendas cultro assatas carnes suas, & ita læto animo hæc omnia patiebantur, ut nos patimur frigus vel calorem

pro gloria militiæ, vel alio respectu. Si ergo radicata opinio doloris sensum tam fortiter tolerare nouit, vt lachrymas potiùs tum fundat, cum non patiatur, quàm tum dum excruciatur, necessum est dicere, vim educationis siue in bono, siue in malo esse solam, quæ nos replet miseriis & ærumnis per contagium potiùs, quàm per realem mali alicuius impressionem. Sic ad hunc vsq; diem reperiuntur homines, qui dulce & decorum habent Dominis suis commori, quibus cum vixerunt, sicut & vxores cum viris; Omni verò cruciatu acerbiorem vitam existimant, si post Dominos mori impediantur. Quis ergo dicet nobis innatas esse Passiones, non potiùs acquisitas, nobiscum tantùm nascitur aptitudo, vt in ligno ad flammam concipiendam quod si igni vel graduato calori non iungatur, flammam non concipiet, & aptitudo nunquam ad actum reducetur.

Verba Communia, possunt dici communes Calamitates, vt infirmitates & mortes, inexperta iuuentus, & debilis senecta, & his similia, in quibus iuxta communem conditionem agimus & operamur.

Verba Inchoatiua sunt actiones boni vel mali principii. Si sunt actiones bonæ, in

illis perseuerandum est, donec ex verbis inchoatiuis fiant perfecta. Sic Deus primâ die incipiens creare mundum non destitit, donec sextâ die absolueret, vt septimâ quiesceret, eo ordine, vt ab informi chaonte incipiens, in perfectissimo operum suorum opere desineret. Sic idem ille rerum opifex ad hodiernam vsq; diem operatur, ab imis incipiendo, in summis desinit. Sic homines crescimus & corpore & intellectu ab infantia ad iuuentutem, ab hac ad virilem ætatem, ab hac ad senium, si Deus perfectum vitæ circulum concesserit. Inde & nostræ actiones debent esse inchoatiuæ ad bonum, & adscribuntur homini in via purgatiua existenti, qui se primo exuit consuetudinibus malè contractis, inclinationibus perperam factis, complacentijs inconsideratis, & hæc facit per operationes inchoatiuas: Certum enim est, v. dictum, ita esse factam hominum conditionem. Aurora diei, cunæ sunt nostræ vitæ. Sol exoriens eleuat vapores, qui claritudinem suam vt pannis inuoluunt. Sic nobiscum agitur in Iuuenili ætate propter nimiam cerebri humiditatem, & nutricum baiularum imperiti seruitij, quæ iuuentutem nostram circumdant, assistentiam. Sol quo altius versus meridiem assurgit, & potentius se explicat, dissipat nubes. Id ipsum facit educatio in Intellectu nostro, quæ discutit falsas opiniones, crassam ignorantiam, & illuminat in rebus fidei, & in moralibus. A meridie sol tanquam declinans cum in-

Perseuerantia in bono cõmendatur.

Iuuentutis imperfectiones.

tellectu nostro, iterum versus terram descendens, facit id, vt vaporibus denuò terrestribus lux sua afficiatur, ita vt non dispar pene sit eius occasus ab ortu, quemadmodum prima infantia à secunda, quæ est senilis, decrepitaque ætas, in quam iterum homo ducitur. Sed redeundo ad inchoatiua, dum vltra progredimur ex via purgatiua, venimus ad illuminatiuam, scilicet illam, vbi ab actis nubibus peccatorum, Deus hominem illuminat gratia sua, vt homo magis cognoscat viam mandatorum eius, & humani erroris deuia. Tū illuminatus homo viam mandatorum decurrit, verbum Dei pro lucerna pedibus suis gerens. Hoc itinere emenso, Inchoatiua verba operationum perficit per viam vnitiuam, quia homo depuratus à vitijs, exercitatus in virtutibus, corde & animo iungitur Creatori suo, Deo summo & bono; & in terra existens gaudet iam quodammodo cœlestis gloriæ participatione, dum dimisso sæculi amore, Regi sæculorum & immortali Domino, intellectu, voluntate & memoriâ coniungitur, & tum iam verba Actionum eius fiunt verba perfecta. Quia tamen viator est adhuc, nec gratia Deî solidatus, non est extra casum, & ideo non sine timore & tremore supremum bonum amat.

Effectus viæ illuminatiuæ.

& vnitiuæ.

In statu Politico similis via est per verba Inchoatiua ad perfecta. Primò exuit se homo infantibilibus, & ludicris actionibus, valedicit gustibus priuatis, & otio domestico, aspirat ad bellicam

cam vel politicam palæstram, Syrenas incantatrices voluptates manumittit, inertem excutit otium Vlterius progreditur, Martis exercitia pro amore Patriæ & gloriæ amplectitur. In statu Politico per ministeria, per commissiones, per tractatus & Comitia se exercet, non vincitur bellicis sudoribus, nec tædio in nodosis status difficultatibus afficitur, ibi per sanguinis vitæq; stipendia, hîc per fortunarum impendia, boni publici studia, lumen à legibus, à praxi rerum mutuatur. Tandem viam vniuscuam cum salute & securitate Reipublicæ ingreditur & ab amore publico nec corruptionibus aureis argenteisq;, nec terroribus, nec respectibus amicitiæ, nec cupiditate vindictæ, nec lucri gratiâ diuellitur.

Occupationes hominū secundū diuersos ætatis status.

Eædem viæ sunt & in Moralibus Inchoatiuis, vbi dediscimus vitia infantili ætate vel Iuuenili contracta, vbi exercemur virtutibus, illuminamur conuersatione magnorum virorum. Tandem Inchoatiua nostra transeunt inperfecta cum à recto & honesto, nulla vnquam nos diuellat & abstrahat violentia. Hoc ipsum quod diximus, exprimere volentes Romani, sumebant & deponebant vestes pro ratione ætatis singulorum & status Reipublicæ. In Infantili ætate portabant Bullas volubiles, quibus monstrarent, nihil infantiâ volubilius, quacunq; ex parte impulsum accipit, statim mouetur dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum; Ideoq; volubilitatem sistebant assistentiâ

Inuentus à Romanis quomodo adumbratus.

 edu-

Iuuentus volubilis. educatorum. In adolescentia sumebant prætextam id est purpura intertextam vestem dempta bulla, quæ tamen vestis habebat manubria sua, quo monstraretur teneri adhuc debere adolescentiam ab educatoribus. Sumebatur postea toga virilis, libera à manubriis; hæc distinguebat conditiones & Magistratus per laticlaui & per fimbrias. *Vestis denotat virum.* Fimbria vestem cingens & stringens, muniens à facili laceratione, denotabat ita fimbriatos debere esse Ciuium animos, vt adstricti sint legibus seu fimbrijs, vt quemadmodum vestis fimbriata violentiæ lacerantis resistit, ita & animus legibus vallatus resistat violentijs passionum, & externorum tentamentis. Latus clauus vocabatur eadem fimbria latissima, quæ fortiorem quam prima reddebat togam, denotabatq; fortiori vinculo Senatorij Ordinis viros obstringi Reipublicæ & legibus: Maximè verò dum etiam Clientelâ Magnatum absoluebatur, qui ad Senatum assumebatur, né cuiquam præter Patriam esset obligatus. Hæc toga cingulo astringebatur, dum se alicui labori accingeret Ciuis vel Magistratus, Eadem toga deponebatur, dum bellum ingrueret, vt breuior vestis sagus sumeretur, quæ expeditiorem ad quosuis motus reddebat hominem. *Vestitu monentur homines suæ cõditionis.* Ita vestitu ipso monebantur homines conditionis per propriæ & vocationis. Dabatur Principibus viris & Senatoribus purpurea vestis, vt quemadmodum purpura piscis humorem purpureum quem

sub lingua gerit, nonnisi cum vita dimittit, nec emisso humori superstes viuit; ita Principes viros non debere curam Principatus, curam Reipublicæ exuere, nisi vnà cum vita. Purpura duplex erat violacea & rubicunda. Rubicunda monebat, Magistratus debere cum dispendio salutis tueri libertatem & dignitatem. Violacea modestiam & facilem ad se accessum innuebat, in tantum; vt violæ ad instar quæ terræ proxima semper manet, adhæreant illis, quos inter sunt positi. Et quantum colore & odore cæteris præstant, tantum se supra cæteros non efferant. Hi colores purpuræ monitorij, vt in veteri, ita in nouo testamento fuêre in Ecclesia. Quid enim byssus, & purpura in Pontificibus veteris legis? nisi hæc candorem, illa verecundiam significarunt? Quid tintinabula circa vestem Sacerdotis? nisi quod bonæ famæ sonarent custodiam. Quid pretiosis lapidibus refertum Pectorale Summi Pontificis? nisi quod duodecem tribus, quarum salutis cura penes Pontificem erat, repræsentabantur, sacro inclusæ pectore. Quid nunc in Ecclesia Dei violacea purpura rubeis fimbrijs vallata in Episcopis? Quid rubea in Cardinalibus tam & Principibus sæcularibus denotat? nisi pro Euangelio Dei, pro Ecclesia etiam sanguis impendendus. Quid Mucetæ? nisi Ducatum Ecclesiasticum prout in sæcularibus Principibus ad instar mucetarum colaria rotunda, nisi sæcularem denotant Ducatum: Itinerarium est enim

Purpura duplex.

Vestis Sacerdotalis significata.

Insignia Prælatorum quid denotent?

&

*& quasi ad pluuias deciduas comparatum Pallio-
lum pro illo, qui se Ducem ad Patriam, si est Sa-
cer Dux; Ducem ad bellum pro Patria, si est
secularis, profitetur. Quid annuli tam Spiritua-
les quàm sæculares? nisi quemadmodum apud
Romanos denotabant per aurum, quod vitioribus
nescit misceri metallis, puram mentem Reipublicæ
studio conseruatam, nec ulla externi metalli ad-
mixtione vitiatam. Per formam verò indicabat
Legibus Patriæ ceu compedibus obligatos vel de-
sponsatos. Respice Cruces summitatibus coronæ im-
positas, hoc est Regis Regum signum & Domini
Dominantium, per quem Reges regnant. Hæc o-
mnia non ad fastum excogitata fateare necessum
est, sed vt vnum quemq; propria moneant insi-
gnia vocationis suæ, monstrentq; populo, quanta
pro ipsis, pro salute eorum seu æterna seu tempora-
li suscepere ij, qui præsunt. Eodem modo habitus
& formas eorum tum & colores tot, quos cernis
Religiosorum, interpretaberis.*

Sunt & verba Meditatiua, operationes as-
Quæ medi tanda — *siduæ circa res necessarias. Et quæ magis neces-
saria meditatio in Christianis, quàm vitæ æter-
næ? Quæ in politicis? quàm securitatis; quæ
in moralibus? quàm honestatis.*

*Frequentatiua verba, erunt exercitia virtu-
tum tam Christianarum quàm moralium & Po-
liticarum. Vt enim militem in robore & fortitu-*
Sine exercitio — *dine conseruat continua lucta, ita ni exercitium*

virtu-

virtutum adsit, humanus languet animus, & facile dedidicit, quod didicit.

Virtute languet animus.

Diminutiua verba habent locum, vbi diminuimus mala in animam, corpus. siue hominis, siue Reipublicæ redundantia. Diminuimus dum coercemus, dum non dissimulamus per seruilem patientiam: Scientes, quod participat peccato, qui illud dissimulat. Illa verò diminutiua gloriæ Dei, gloriæ gentis propriæ, æstimationis, diminutiua conscientiæ, diminutiua gratiæ, famæ alienæ, bonorum, amicitiarum, exulent ab actionibus nostris, quia iusto Dei iudicio, cum operari sequitur ad esse, si fuerimus diminuentes, diminuemur & ipsi; Non enim patietur iustus Deus te diu crescere per diminutionem alienam. Et vt deuorans deuorabitur, sic diminuens diminuetur. Actio sine reactione non datur, cribrans cribrabitur.

Non crescit qui aliena diminuit.

De Participio.

PArticipia apud Latinos vocantur, quæ à Nominibus participant casus, à verbis tempora. Christianum Participium est recognoscere semper, quantùm participamus de similitudine Dei, de gratia creationis, conseruationis, & saluationis. Participamus autem præ omnibus animalibus, quæ sunt in terra, in aëre, & in aquis, imò parti-

Similitudo Dei à nobis participata recognoscenda.

ſcenda eſt. *

participamus de ipſo Dei imperio, quod datum eſt homini ſuper cætera animantia. Ergò debemus hanc participationem, & communicationem, grato ſemper recolere animo.

Habemus & aliam participationem, cum nos Deus voluerit habere cohæredes filij ſui vnigeniti in vita æterna, in poſſeſſione Regni cæleſtis. In tantùm itaq; per fidem, ſpem, & charitatem participamus de pretio Sanguinis Dominici pro genere humano effuſi; In tantum ſumus participes gloriæ eiusdem Domini noſtri. Hinc neceſſum eſt, vt quemadmodum Saluator noſter nos participes effecit gloriæ ſuæ, ita nos quoq; participemus de paſſionibus, de doloribus, de vita, & morte eius.

Qui volunt eſſe partici pes glo riæ ſint & paſ ſionu.

Participare eſt partem alicuius rei accipere. Primi Parentes noſtri participarunt de ſuperbia diaboli, cũ voluerunt eſſe ſicut Dij; participarunt & de inobedientia, cum vetitum guſtarunt fructum: Vnde etiam participarunt de Ira Dei, de damnatione, & totam poſteritatem ſuam effecerunt

Parti cipia primo rũ Pa rentum quæ ?

cerunt

cerunt participem calamitatis. Sic Participium Adæ nos perdidit, Participium Christi nos saluat, & postliminio ad vitam æternam reducit. Ergo primum Participium est nostrum, si salui esse volumus, per merita Christi & sanguinem eius, quod fiet per fidē viuam, non hæsitantem, non dubitantem, non disputantem. Secundum Participium est cum Ecclesia, vt simus semper in ea per obedientiam filialem, per acceptationem doctrinæ eius, quod quemadmodum tempore diluuij non erat salus extra Arcam Noé, ita post institutam Dei Ecclesiā non est salus extra gremium eiusdem: Est sicut Æthnicus & publicanus, quicunq; non audiuerit Ecclesiam.

Originale peccatū nos perdidit.

Participatio meritorum Christi saluat nos.

Participium Politicum, est partem in Republica habere, vel tanquā Ciuis, vel tanquam Magistratus, vel tanquam Minister. quia hæc omnia participant de Maiestate Reipublicæ vel Principis, de securitate Publica, & securitate Ciuium, prout & de calamitatibus publicis, ita, vt etiamsi nobis necessum est, participemus de

Participa politica quæ?

ca

ea ſorte, quæ Rempublicam afficit: impoſſibile enim eſt corpus pati aliquid, & membra nihil ſentire. Conſortes ſunt omnes ſortis publicæ, ideoq; publicum curandum, propter participium quod habemus cum illo. Quis nollet agere pulchri ſaniq; corporis partem? Quis non cupit magni & æſtimati capitis eſſe brachium vel manus? Ab hac Reipublicæ participatione excluduntur ij, qui vocantur banniti & infames, hi enim præſcinduntur à corpore Reipublicæ, prout & illi, qui excommunicantur & quodammodo eijciuntur è gremio Eccleſiæ, minori Excommunicatione ad correctionem. Hinc fit vt excommunicati, infames, vel banniti, non gaudant priuilegijs participij publici. Curandum eſt ergo tam Eccleſiaſticum quam Politicum Participium, ſi bene viuere cupiamus. Participium ſuorum Ciuium tollunt illi qui ſibi omnia arrogant, qui ſoli Omnia eſſe volunt in Republica, qui aliena iura vſurpant, Monopolium libertatis penes ſe habere cupiunt, quod

Qui à participio Reip. & Eccleſiæ excluduntur infames ſunt.

quod est Tyrannicum, iniuriosum Ciuibus cæteris, qui á participatione Reipublicæ iniustè excluduntur. Sic vidimus in Republica Romana Dictatores, Sullas, Tribunos plebis, Gracchos, postea Triumuiros, tandē res ad vnum redacta, fato libertatis & Gentis.

Participium Morale est imitari proborum Virorum exempla, de virtutibus eorum participare; conuersatione instrui, monitis erudiri, & ita quodammodo alienis exemplis proficere, vt Græcus ille pictor, vultum Dianæ pulcherrimum facturus, ex quàm plurimis puellarum vultibus participata in vnum contulit decora. Sic nobis Ecclesia Dei repræsentat Sanctorum & Sanctarum celebritates & festa, vt singulorum in hac vel illa virtute imitatione formemur fideles Christi. Etsi ad similitudinem Supremi Capitis nostri efformari cuiquā arduum videtur, saltem amicorum eius secuti vestigia, ad illum quodammodo appropinquemus. Ita Annales & historiæ populorum repræsentant nobis

Participium morale est imitatio proborū virorū.

Historiæ vitæ

nobis tot inciitamenta, quot viros illustres proponunt, vt tali participio & nos proficiamus. Hæc participia sunt optima & salutifera. E contra Participia vitæ scandalosæ, hominum improborum, vt pestis vitanda, arcenda, fugienda.

De Præpositione.

Deus & manda ta eius præponi debent omnib9 Creaturis.

Et hæc præpositio fit ex iustitia.

PRæpositio est in literatura, quæ aut separata, aut coniuncta præponitur. Præpositio in Christiana Grammatica est, primo locó Deus, & mandata eius, qui præponi & anteponi debet omnibus Creaturis, respectibus humanis. Hæc præpositio ipsi debetur ex infinita Excellentia, celsitudine, bonitate, dignitate, quâ omnia superat. Hæc præpositio non est ex humanitate, quâ solemus certare cum hominibus, dum illos vel nobis vel alijs anteponimus, sed ex summa iustitia, quæ debetur Deo, qui solus Dominus, solus altissimus. Ideo qui Deum præponunt omnibus rebus mundanis, vocantur homines iusti coram Deo. Has curare præpositiones debe-

mus in omni vitæ nostræ Oratione, vt illa sit Deo & hominibus accepta. Alias summæ impietatis est, diuinæ Maiestatis præpositionem conuertere in postpositionem, estq́; hæc Actio Criminalissima coram Deo & Angelis eius, coram terrarum Orbe, coram barbarissimis quibusuis Nationibus; Nam hæ etsi verum Deum non agnoſcant, sciunt tamen esse Deum, & esse super omnia præponendum.

Iustitia cæteris virtutibus anteponenda.

Inter virtutes Iustitia, quæ est constans voluntas Ius suum cuique tribuendi, semper est præferenda & præponenda; quia hæc est virtutum omnium præpositio, hæc ni præcedat, vanæ sunt reliquæ virtutes.

Patria præponenda priuatis respectibus.

In Politicis Præpositionibus Prima est Patria, hæc omnibus respectibus priuatis, externis debet præponi, vt superiùs dictum. Et quàm magnum peccatum est in Literatura præpositionem secundo loco ponere, vt si dicas vrbem ad vado, tam grande scelus est, si Patriam tuam, cuius amor omnes charitates superare debet, ita postponas, vt priuatum tuum

interesse prius cures, vel quod exter-nis magis studeas, vel passionibus tuis plus indulgeas, quàm Matris tuæ ne-cessitatibus, id est, Reipublicæ. In to-ta ergo vitæ tuæ oratione attende, li-bra in statera prudentiæ res omnes, vt videas, cui quid præponas, ne quod præponendum postponas, quod post-ponendum, hoc præponas. Et quia amor proprius est nobis innatus, ex hoc plerumq; tot damnosæ emanant præpositiones. Prima præpositio da-mnosissima est, seipsum cæteris ante-pônere, à sorte nascendi, à qualitati-bus naturæ, à dotibus fortunæ, à sci-entia, à lingua, corde, & manu. At si in bilance recti iudicij Sorti nascendi opposuerimus, quod hæc data est no-bis nec volentibus, nec merentibus, quod hæc sors, quæ mihi contigit, poterat contigisse illi, quem despicio, quod maiorum meorum gesta non sunt mea, & nisi similia patrauero, monstrant, quantopere ab illis dege-nerauerim. E contra vero ille; quem despicio, humiliorem nascendi sor-tem pensat eminentiori virtute: For-

Amor proprius causa iniustæ præpositionis.

Nullum despicias, si ad bilancē recti iudicij cuncta ponderaueris.

te ille fiet fons ſplendoris ſucceſſoribus ſuis, & ego ſum nonniſi riuulus magni fontis ; forte ille Dei gratiâ eſt clarior, quàm ego nõ ſum, illuſtris Anteceſſorum meorum vmbris. Qualitatibus tuis naturæ, ſi oppoſueris onus reddendæ rationis Deo Iudici, quomodo his talentis vſus fueris. Si oppoſueris, quod eminentes naturæ qualitates ſunt ad inſtar gladij ancipitis, niſi virtutem Ducem ſequantur, quot homines proprijs periere dotibus? Altiori fortunæ tuæ, ſi in ſecunda bilance oppoſueris, quod opes & dignitates felicem non faciunt: Dantur improbis, non raro dantur fato vel inclinatione, quod rarò, in alto conſiſtamus, ſine vertigine capitis, quod altior fortuna humanas intendit excæcare mentes, rarò veros habet amicos, plures adulatores & paraſitos, quod maior licentia peccandi in ſtatu magis periculoſo hominem tenet. Scientiæ tuæ, ſi oppoſueris defectûs illius imperfectiones, eo quod cogatur dependere à ſenſibus, eorumq; fallacitate, ſi videris, quàm multos ſci-

entia inflauit, iactauit, in abrupta protrusit. Gratiæ linguæ & labiorum tuorum, si opposueris censuram graue multorum hominum, si videris eloquentiam esse vaniloquentiam, nisi verbis tuis facta responderint, si obseruaueris vnã, virtutis actionẽ, posse tuam confundere suauiloquentiã. Præsumptæ manûs tuæ fortitudini, si in bilance iudicij opposueris vim & robur Sapientiæ & Prudentiæ alienæ, quæ corporeas semper superat vires, imo nisi hæ Sapientiæ & Prudentiæ subijciantur, furores sunt belluini, nõ fortitudinis specimina. Ergo iudiciosé tempera ea, quibus gaudes, & caue ne te ipsum, resq; tuas facias præpositiones. Non tuum est de te iudicium, sed hominum: Talis eris in Orbe, qualem te ipsi volent, non qualem te ipse cogitas, vel tui assentatores dicunt. Hoc enim Deus voluit supremum societatis humanæ vinculum, vt cum habeas diuitias, honores, dignitates, Iudicium, & alias quàm plurimas naturæ fortunæq; opes, in tua potestate, vnicum cogaris emendica-

re ab

re ab hominibus, quod vitæ tuæ æquiparas, æstimationem tui, quæ talis est, qualem te homines esse volunt. Ergo potius alios tibi præponas, vt te omnes sibi præponant. Vnde non immerito ille, qui sibi sapiens videbatur, à scurra suo confusus, cum inter de ambulandum diutius specularetur phantasmata sua à lectione librorum & experientiarum repleta, tandem in hæc erumpit verba: O quam pulcher esset liber, si omnia in eo continerentur, quæ scio! Subrisit scurra, sed causam interrogatus dicere noluit, nisi habitâ Heri veniâ, si non ad gustum responderet, quâ obtentâ, dixit: Longe præstantiorem & doctiorem, librum tuum fore, si omnia in illo continerentur, quæ nescis. Hæsit super verbis scurrilibus, vera tamen dicentibus sibi Sapiens vir, & confessus: habuisse se, quæ à scurra disceret, argumenta humiliationis, contra flatuosam suam scientiã, quæ, dum multis bibliotecis librum meditatum præponere volebat, componit, debere cedere loco illi libro,

Exemplum de quodam scurra.

 quem

quem scurilis non scuriliter concepit animus.

De Aduerbio.

ADuerbium dicitur, quod explanat dictionem, & plane definit, sic vitæ nostræ Orationis aduerbia explanare debent Actiones nostras, vt claræ sint, perceptibiles, & sinistris interpretationibus minùs obnoxiæ. Pietas in Deum sit cum aduerbio sinceritatis, cum aduerbio rectitudinis, quod facis fac iustè, fac piè, fac bene, fac sapienter. Sic operationum tuarum dictiones pulcherrimè coram Deo & hominibus explanabuntur & definientur. Quidquid agis in Politicis, cum aduerbio, prudenter agas, & respice finem, quia hic coronat opus; si finis bonus, laudabile totum opus. Qui finis etsi sit vltimus in executione, debet tamen esse primus in intentione. Ergo ante omnia cum aduerbio ritè, sapienter, decenter, eligas finem actionum tuarum. Postea Media honesta, licita adhibeas, ad consequendum hunc finem, nam opti-

Pietas in Deũ cum sinceritate iungenda.

Prudens prius cogitat de fine quã de medijs.

mus

mus finis pessundatur, per media illicita. Sic bonam rem desideras, cum promoueri cupis; promotionis autem tuæ media sint virtutes, sint merita, sint testimonia bonæ vitæ tuæ, sit amicitia magnorum, fauor Principum, bonis artibus quæsitus. Hi sunt gradus honesti, qui te prouehunt, absit adulatio, mendacium, quæ sunt seruilia vitia, absit supplantatio, & alia illicita: quid enim prodest te promouere, te ascendere tam altè, si cum iniuria; si cum depressione aliorum, si per fas & nefas simul, si cum maledictione iniuriatorum, durabilis esse nõ potest talis dignitas. Ergo per Aduerbia honestatis, rectitudinis, realitatis, explanare memento actionum tuarum dictiones. Quid corrupit modestiam Tiberij? nisi aduerbium, ardentissimè cupientis ea, quæ erant sub specie recusantis. Quid Rempublicam Romanam perdidit? nisi aduerbia, cum quisq; Ciuis, rectè sumpsisse arma crederetur, contra hunc vel illum Conciuem, in re ipsa verò contra Patriam, quæ ex Conciuibus

Ruina Reipub. Romanæ vnde.

con-

constat. Aduerbia itaq; verbis operationum nostrarum dant valorem; si bona, bonum, si mala, malum.

Aduerbiorum varia sunt genera, vt in Grammatica Latina, sic & in Christiana.

Nil optandū quod nostras excedit vires.

Aduerbia Optandi sint rationi & prudentiæ nixa, ne optes quidpiã, quod tuas vires excedit, ne fias ludibrio hominibus, ne Asinus optes Lyram. Non optabis similiter, quæ sunt infra te, & tuam dignitatem detur pare possunt, vt illi Imperatores, quorum vnus muscas per Palatium insectabatur suum, alter aurigandi studio detinebatur.

Deus inuocandus, sine quo nihil possumus.

Aduerbium vocandi: Deum scilicet in adiutorium tuum à principio cuiuslibet Actionis, sit frequens apud te: Etenim sine eius nomine, nihil est in homine. In rebus grandioribus quà publicis, quà priuatis, vocabis amicos, vt consulant, vt sensus suos promant, vt illorum ope & Consilio iuueris. In moralibus vocabis Doctores Conscientiæ tuæ, consules eos, ne pecces in Deum, vel proximum; vocabis

cabis Clerum, qui oret pro te, dum es in tentatione, vel afflictionis, vel infirmitatis. Si etenim Pagani febribus, infirmitatibus, fundabant Aras, fundabant preces; quanto magis tu debes febrium & calamitatum supremũ Arbitrum orare, vt tibi subueniat.

Iuuenes instrui cupiant à Senibus.

Aduerbia interrogandi sint in Iuuentute crebra: Sapientes, Senes, viros experientia Claros interrogabis de rebus ad salutem, de rebus ad fortunam, de rebus ad sanitatem spectantibus. Iuuenis es, ergo credas nouum te esse incolam Orbis. Ergo credas tibi Orbem nouum, ergo necessum est, vt noscas & noscaris. Quomodo nosces, si non interrogabis, quid sit Orbis. Quem melius interrogabis? quam eos, qui eum nouerunt, per sapientiam, nouerunt per Casus, nouerunt per experientiam.

De actionib9 nostris respondendum Deo, Patriæ, & posteritati.

Aduerbia Respondendi sint tibi in mente, vt de actionibus tuis interroganti Deo scias respondere, id est rationem reddere, ex verbo, opere & cogitatione. Vt paratus sis respondere legibus Pariæ de tua vita & moribus.

ribus. Vt paratus sis respondere posteritati, quæ interrogabit de vita tua, de actionibus tuis. Vt paratus sis respondere in iudicijs, Accusatoribus tuis, ne confundaris coram iudice interrogatione, sed triumphes responsione. Ita ergo viuas, necessum est, vt responsum habeas in promptu bonum, firmum & validum.

Quæ affirmãda & quæ neganda. Aduerbia negandi sint tibi ea, vt neges, quæ Ecclesia negat, affirmes quæ affirmat, vt vitijs ad te accessum neges; Caue negationes cum veritate pugnantes, caue negationes malignantis naturæ, quæ negant beneficia Dei, quæ negant prouidentiam, quæ negant gratitudinem, negant Charitatem in Deum & proximum. Nam Christus dicit, *qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.*

De sufficientia nostra dubitandum est. Aduerbia Dubitandi tunc erunt opportuna, cum dubitaueris de sufficientia tua, ad hæc vel illa munia subeunda, ne ipsa plus nimio appetas; cum dubitaueris, an gratia vel odio dignus sis in conspectu Dei, indeq;

deq; cum timore & tremore operatus fueris salutem tuam; cæterum dubitare tibi nefas de gratia Dei, quam dat homini petenti. Nefas est dubitare de misericordia, vt quacunque hora ingemuerit peccator, Patris experietur clementiam. Nefas est dubitare de Orthodoxa Religione, in qua natus es, & educatus, disputare vt de noua, vt de problemmatica; Philosophari in fide, vbi non discursus, sed obedientia requiritur, perfectumq; Deo reuelanti obsequium; nefas est dubitare de Deo, apud quem nihil impossibile.

Nefas dubitare de misericordia Dei, de fide, &c.

Aduerbia prohibendi sunt ea, si appetitus tuos, passiones tuas, concupiscentias tuas cohibueris; si Capistrum Legis Diuinæ cupiditatibus tuis inieceris, si longissimæ vitæ spes millenis vijs mortis & casibus temperaueris; si timore Dei inanes lætitias mundi moderatus fueris &c.

Passiones cohibendæ.

Aduerbia Eligendi erunt, si genus vitæ honestum genio tuo conforme elegeris, in eoq; vt decet vixeris; si elegeris potius mori, quam Deum

Genus vitæ honestum eligendum.

summe

ſummè bonum offendere, potius Deo quàm hominibus placere, potius animæ, quàm corpori ſeruire, potius vitam æternam, quam temporalem curare.

Aduerbia congregandi & ſeparandi, tum verbum vitæ tuæ explanabunt, cum ſimul cum viris rectis pro Deo & Patria ſenſeris, ſimul cum eis Patriæ opem ferre non detrectaueris, ſimul cum eis innocentem defendere volueris; ſeorſim verò & ſeparatim à conuentu malignantium vixeris, à Conſilijs prauis contra Principem &Rempublicam te ſeparaueris, leuiſſimorum hominum conſortia vitaueris, teq; egregium, id eſt, è grege impiorum exemeris.

Cũ viris rectis ſentiendum.

Aduerbia intendendi & remittendi ſunt, acriter inſectari vitia, ſtudiosè imitari virtutem, vehementer operari ſalutem, ſegniter audire delationes, admittere ſuſpiciones, remiſsè de vindicta cogitare, remiſsè iraſci.

Acriter inſectanda vitia ſtudioſè virtutis.

Aduerbia temporis neceſſaria, vt hodie facias, ad quæ teneris; nam hodie

Bona opera non differas.

hodie est tuum, de crastino certus non es. Coruus cras dicit, homo hodie; non differas pænitentiam ab hodierno die, non differas beneficium amico, hodie fac, gratius erit, hodie sis rectus vir, cras incertum est, non tuum est, alienum est. Hodie est dies Dominicus, cui Deus benedixit quem Deus sanctificauit, in quo & ipse ab opere cessauit, & vt in eo requescat bos, asinus, & filius ancillæ tuæ. Tu autem hanc diem laboribus tuorum subditorum violas, ebrietatibus, compotationibus tuis, Sanctitatem diei profanas. Dies Dominicus est, qui totus in laudibus Domini, totus in gratiarum actione consumi debet: Tu ex die Dominico seruilem facis; ex die Dei tui, facis diem tuum, & scelerum tuorum. Idem est inuadere diem Domini, quod inuadere templum Domini. Idem eripere Domino diem suum, quod diripere cum Nabuchodonozore vasa Domini, spoliare Sacrarium eius. Si inuadis domum proximi tui, rigor legis humanæ mortem tibi temporalem minatur.

Diei Dominicô Deus benedixit.

Dies Dominicus in laude Dei trãsigendus non in seruilibus.

Cum

Dum verò inuadis diem Dei, credis hanc inuasionem non fore tibi æternùm mortalem. Dedit tibi Deus & operi tuo sex dies, sibi septimum reliquit; quàm grande est tuum Sacrilegium! dum res Domino sacras tibi appropriàs. An nescis dies vitæ tuæ esse in manibus Domini tui? Tu ipsi vnum diem eripies, ipse tibi centum de numero vitæ tuæ eliminare potest, vt iustus Iudex. Hoc de die Domini-co. Quid de diebus Sanctorum dicemus? Dies si venerit Augustæ Deiparæ dedicata, dies memoriæ SS. Apostolorum consecrata, vt illas inuitatione, deprecatione, gratiarum actione celebres: tu Sanctas Dies Baccho & Cereri inter Comessationes & compotationes litasti, Apollini & profanis Musis inter Choreas consecrasti. O quàm egregius es Christianus, quàm alienus ab intentione Ecclesiæ! dum potius Gentilis es, quàm Christianus. Ergo credis non dishonorare te amicos Dei, apud quem nimis honorati sunt, dum celebritates eorum ita prostituis? Confundet te

Cur Ecclesia Festa Sanctorũ celebret.

in

in die Iudicij, vilis nunc Iudæorum Natio, quæ Sabbatha ſua tantâ, colit obſeruantiâ; quid de Turcis, Perſicis, Baieram dicemus feſtiuitatibus ?

Aduerbia loci vbiq; practicanda: hîc es in iſto loco, ergo fac quod hic locus exigit; Es domi, fac quæ fieri debent domi, rem priuatam cura. Es foris, cura publica, publicus eſto totus. Es in templo non te ſequatur eò domus, neq; forum. Templum eſt domus Dei. Vnde cum is in Palatium Regis, domûs tuæ mobilia non portas; quomodo audebis id facere in domo Regis Regum, vt tecum ibi intrent & res familiares, & forenſes? Noſti manſuetiſſimum hominũ Chriſtum Dominum, & tamen percutiens eiecit ex domo Dei vendentes & ementes; venis ad templum vt ores, ergo non garrias, ergo non venias oſtentationis Cauſa, vel cõfabulationis gratia; ſumma enim irreuerentia & deſpectus eſt in eo loco, vbi debebas venire humilis corde, & contritus, vbi debueras deflere reatus tuos, vbi debueras proſterni ante immenſam

Faciendum id quod locus exigit;

In templo modeſtia commendatur.

Maiestatem; tu superbus mente, fa-stuosus habitu, lasciuis oculis, effu-sus Cachinno, intras domum Dei, vt speluncam latronum, vbi tremenda tractantur sacrificia; tu confabularis, & nefanda forte inchoas commercia. Confundet te Turcarũ, Persarum Su-perstitio, qui in domo Religionis suæ inter profunda suspiria plorant, & manus ad Deum eleuant, proster-nuntq; vultus suos. Ille qui in cælis est, habitatq;, in gratiam Nostri vo-luit quoq; nobiscum habitare in ter-ris, & qui stellato sedet solio, non de-dignatur ijsdem nobiscum habitare tuguriolis. Quæ ergo gratitudo est, hospitem in templo Deum tam con-temptim tractare? O quàm terribili voce clamabunt lapides de parieti-bus templorum contra eos, qui in templis peccauerunt, quasi non sat grande esset peccatum, nisi adhuc in sacro fieret loco.

Aduerbia Ordinis dant animas rebus: nisi enim ordo sit, & mundũ ab inferno non discriminabis, quia ibi nullus ordo, sed sempiternus hor-

ror inhabitat. Ordo anima rerum, ne sit primus, qui est vltimus, nec vltimus qui primus. Ideo Ecclesia Dei militans est terribilis, quia ordinata. Non omnes Pastores, non omnes Evangelistæ, non omnes Doctores. Tolle Ordinem rerum, sustulisti res ipsas, vel saltim Cadauer rerum reliquisti, quia inanimatum. Caue tamen, ne ideo quia prioris Ordinis es, contemnas secundum vel vltimum, prior enim tuus Ordo, nihil esset, nisi haberet secundum, & sunt correlatiua, sunt ad perfectionem vniuersi facta, quæ sunt Ordinata. Non despicias vltimum, si prior es, si ille in Ordine suo vltimo perfectior erit quam tu in primo; Maius meritum & gloria erit ex vltimo eius gradu benemerito, tu potes damnari ex male gesto Primatu tuo. Noueris autem, vt hominem esse spiritualem quo ad animum, esse sæcularem & temporalem, quo ad corpus: ita duo sunt hominum Ordines in Orbe: Ordo spiritualis, & Ordo sæcularis. Ordo Spiritualis ideo vocatur talis, quia

Ordo anima rerum.

Nemo despiciendus.

Duplex ordo in mundo est.

cura animarum, quæ sunt spirituales;
penes ipsum est, quia cura Diuinarũ
rerum ad ipsum spectat, Deus autem
est Spiritus; quia Ordo spiritualis o-
bligat se non viuere iuxta carnem,
sed iuxta spiritum, & ideo vocatur
Spiritualis, quia carnalis propagatio
non spectat ad eum, & in carne qui-
dem viuit, sed non carni, quàm ab-
negauit per votum castitatis siue im-
plicitum, siue explicitum. Ordo ergo
Spiritualis primus est, quia laudes
Dei ad illum principaliter spectant,
quia est ordo Medius inter Deum &
hominem, quia Missione à Deo ad
homines funguntur Sacerdotes, &
ideo Angeli vocantur in scriptura, id
est Missi, cum Mandatis Dei, cum ex-
hortatione, cum correctione, cum de-
nuntiatione Iræ Dei non pænitenti-
bus, misericordiæ Dei resipiscentibus;
quia huic Ordini data est potestas sol-
uendi in terra & in cælis vincula pec-
catorum. Quia Sacerdos offert Sacri-
ficium propitiatorium. Et quod
Christus in monte Caluariæ fecit, hoc
Sacerdos ad Altare Christũ repræsen-
tans

Ordo Spiritualis præcedit ordinem Sæcularem.

tans peragit. Ergo mirari noli, quod Ordo Spiritualis ſit primus, cui ſe demittere non erubeſcunt Coronata capita; quia norunt, quantam habent cælitus poteſtatem ipſis Angelis & Archangelis maiorem, Deo ſimillimam, ſuntq; eius Vicarij; ſeruatâ proportione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, à Summo Pontifice incipiendo.

Ordo ſæcularis ſeu temporalis eſt poteſtas Ciuilis, quæ etiam à Deo eſt cum ſuis ſubalternationibus, habet poteſtatem ſuper corpora, ſuper vitã hominis, ſuper fortunas, non in vanum portat gladium, protegit à vi externa, gladio, vindicat à Confuſione, legibus, Ordine, & prærogatiuis in tantum; vt qui huic poteſtati malitiosè reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Hæc tamen poteſtas Sæcularis, non eſt tam tremenda, vt prima Spiritualis, ipſa enim veritas dicit comparatiue: Nolite timere eos, qui vitam tollere poſſunt, ſed timete eos, qui animas veſtras poſſunt mittere in gehennam ignis. Ergo hæc aduerbia Ordinis conſerua & obſerua, nec

te moueat, quod aliquando Sacerdotem videas discolum, characterem eius non mores respice. Christus ipse dicit: Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: Iuxta opera illorum nolite facere, doctrinam seruate; quasi diceret, mores, opera illorum, sunt illorum propria, aliquando praua, indirecta, doctrina autem illorum, non est doctrina eorum, sed Dei, unde hanc seruate, vt Diuinam; si etenim vas aquæ manibus sceleratissimi hominis portatum, naturam aquæ non immutat, quominus sitim non extinguat, Sic indignus Minister non præiudicat Characteri, quem gerit. Adde Euaristi Papæ monitum: Pro moribus subditorum disponitur à Deo vita Rectorum. Tales habebis Superiores seu in Spiritualibus, seu in temporalibus, quales meruisti. Certum enim est iudicium Dei, incipi à Domo Dei, & quod potentes potenter tormenta patiuntur, Grauius punientur Sacerdotes mali, quam Laici mali, maiores pænas subibunt Magistratus peruersi,

Non respiciendũ quid faciat Sacerdos, sed quid doceat.

Tales nobis Deus dat Superiores, quales meremur.

uersi, quàm eorum subditi. Sed quid hæc ad te, cum iudicia hæc Deus ipse sibi reseruauit. Is eum puniet, qui eum eleuauit & constituit. Tuum est obedire Deo per hominem iubenti, nec respicias huius staturam magnã, illius paruam, vtrumq; Deus fecit.

Aduerbia Euentûs sunt in rebus humanis: cum enim Deus regit mundum infinitâ Sapientiâ & prouidentiâ, nos verò sumus limitatæ facultatis in sapiendo & præuidendo: Forte eueniunt, quæ non præuidimus, forte fiunt, quæ non putabamus. Fortuitò nobis accidunt, quæ non intendebamus. Ergo in fortuitis veneremur prouidentiam Dei, veneremur voluntatem eius, nec irascamur, nec indignemur ad fortuita. Eius est Orbis terrarum, cum ipso est Consilium eius, ille solus est Dominus. Ergo agit quæ vult in domo sua, nec à gustu nostro pendet eius Actiuitas; humiliemur sub potenti manu eius, & dicamus in fortuitis, quod rectum sit Iudicium eius.

Deo omnia subijcienda.

Aduerbia similitudinis, Inge-

niosos homines decipiunt, verisimilitudines capiunt, non bene enim perpensis difficultatibus, & diuersitate rerum facile sibi persuadent, quod sicut hoc ita est factum, ita & illud fiet, vti hoc, ita & illud. Sic frequenter falluntur ingeniosi homines, facile suspicantur ex verisimilitudine, facile concipiunt auersionem, ob speciem similitudinis.

Suspicio sæpe oritur ex verisimilitudine.

Aduerbium Diuersitatis est proprium iudiciosi hominis, qui discernens omnia, considerans quantum hoc ab illo distat, videt, quod aliter se hoc habet, quam illud; fit secus hic quam alibi; exinde securas format conclusiones, firmo graditur passu, firmiter stabilit res suas, non decipitur apparentiâ rerum; quia examinat earum diuersitatem, qui ergo habet æque bonum iudicium vt ingenium, magnus est vir, quia nouit & similitudines rerum, & dissimilitudines perpendere; at hoc rarum est, nam ingenium est à veloci motu leuissimæ bilis, iudicium, à pondere humoris melancholici grauioris.

Iu[illegible] [illegible]mo non decipitur rerũ apparentiâ.

Raro bonum ingeniũ cum iudicio.

Aduer-

Aduerbia Qualitatis & Quantitatis prudenter, Eleganter, ſapienter, ſobrie, piè viuere, agere, parum iraſci, parum indignari, parum id eſt nihil vitijs indulgere, multum virtutibus tribuere, ſatis Iuſtitiæ concedere, ne nimietate crudelis eſſe incipiat, minimè curare verba malorum, minimùm captare aurem vulgi, minimùm tribuere plauſibus eius vento leuioribus. *Quomodo in mundo viuendum.*

Hæc ergo aduerbia explanant vitæ noſtræ verba, id eſt facta, & ita in Oculis Dei & hominum explicant, vt plana rectaq; videantur, & ſint, quæcunq; agimus.

De Interiectione.

INteriectio vocatur, cum Orationis varij interijciuntur affectus, ſine quibus aliàs Oratio nihil vitale habere creditur, friget & torpet. Quam varij ſunt in Orbe terrarum venti, qui modo perflant áëra, & purgant, modo calore ſolis aduſta recreant, modo ſuperficies aquarum leniter mouent, & ventilatione à corru-

ptione seruant, modo si vehemen-
tiores fuerint, commouent terribi-
les illos maris efferati fluctus, littora
infamant naufragijs, domos & syl-
uas sternunt; Tam multiformes sunt
Parui mundi Microcosmi passiones,
quæ si moderatæ fuerint, beneficia
multa conferunt, reddunt amænam
vitam, & actiuam, hominem faciunt
affabilem, in commiserationem pro-
num, in amicitia constantem, ad opus
Dei & Patriæ non segnem efficiunt.
Vbi verò hi venti à fomite fragilita-
tis nostræ concupiscentiâ plus nimiò
commoti fuerint, quas tempestates,
furores irarum, vindictarum, inui-
diæ, odij, malesani amoris suscitant?
His ergo passionibus, vt ventis vti-
tur Orator, vt oratio assurgat in edi-
tiores colles, vel descendat in amæ-
niores valles; id est: vt tanquam fla-
bello excitentur auditorum passio-
nes, affectus, in quo tota vis Orato-
ris consistit, vt persuadeat, affectus
enim perorantis excitat affectum au-
dientis, mirabili quodam, certo ta-
men Contagio. Talis est vitæ nostræ
oratio,

Moderamen passionũ vtile

oratio, quilibet homo habet, quod persuadeat spectatoribus & auditoribus. Omnis actio nostra est locutio, his actionibus miscentur affectus, qui sunt vitæ nostræ interiectiones. Cauendum ergo est, ne hi affectus excedant modum. Si cui irasceris, memento te non debere irasci personis, sed vitijs eius; si quem ex affectu amoris laudas, caue ne in vitium adulationis labaris. Eolus apud Poetas, vt dicitur certis vtribus detinere ventos. Iudicium rectum, faciat tibi vtres ad reserandos & reseruandos affectus. Nosce ventos, ne turbines & tempestates violentiâ suâ excitent, te nauigiumq; tuum procellis dissidiorum concutiant, & fluctibus odiorũ operiant, vel ad scopulos infortuniorum allidant. Sentis in te exoriri Passionẽ immoderati vel illiciti amoris, reflecte te ad oppositam passionem, vt temperes exorientes impetus, vites occasiones, quæ intendunt malum tuum; vt omnis flatus in corpore, ita omnis passio sit à fermento dulci, vel acido; Acor excitat, dulcor promouet

Actionibus sæpè loquimur.

Passiones quomodo frenandæ.

uet passiones. Semper ergo sume cer-
tas doses de amaritudine, quæ sub-
sequitur nimietates Passionum, spe-
cta exitum illarum funestum & cala-
mitosum, & hoc tam amarum specta-
culum, diminuet fermentationẽ pas-
sionum tuarum. Bene prouide con-

Octauiꝰ Augustus quomodo irã compescebat.

sultum erat Octauio Augusto in Ira-
scibili prompto Passionum, vt primo
totum Alphabetum Græcum cun-
ctanter recitaret, antequam aliquid
ex ira decerneret; cum ad finem Græ-
ca Philosophia docebat, nullas debe-
re infligere pænas sapientem virum,
nec subdito, nec famulo, quamdiu
ira nõ subsideret. Recte Imperatores
sapientes legem fecerunt, vt dum

Mors non nisi quadragesimo die executioni mandabatur, & quare?

quispiam damnaretur morte, non ni-
si quadragesimo die executioni man-
daretur: Considerantes enim quàm
prompta est passio, quàm prompta in
Ministris erga Summam fortunam
Complacentia, quàm debile iudiciũ
tuum est, dum imaginatio passionibꝰ
concutitur; Anthidoti ad instar tem-
pus habere voluerunt, quo furor
amorq; lentescit, Nubes passionum
clarescit

clarescit, & sol recti iudicij illucescit. Quod Anthidotum si assumpsisset Theodosius Magnus, nunquam se cruore Tessalonicæ vrbis contaminasset, sed eam Clementiæ laudem meruisset, quam in Antiochia exercuit.

De Coniunctione.

COniunctio est pars Orationis, coniungens vel ordinans sententiam. Quidquid in hoc Orbe agimus, pro Deo, pro Patria, pro fortuna nostra, operationibus nostris perorando, sine coniunctione id fieri nequit.

Primaria tamen Coniunctio est coniungi semper cum Deo per amorem eius, & obseruantiam mandatorum eius; coniungi cum Ecclesia per filialem obedientiam & Orthodoxam fidem; Coniungi cum Respublica per Consilia recta, per obsequia & studia eidem debita, coniungi cum reliquis Conciuibus. *Prima coniunctio est, coniungi Deo.*

Vt autem maiora habeas motiua coniungendi te cum Deo, eiusq; Ecclesia, necessum est, vt intelligas coniunctionem Dei cum homine, eius *Necessitas coniunctionis Dei cum homine ostenditur.*

occa-

occasionem, necessitatem, & finem.

Homo Primus Adam peccauit in Deum cum tota sua posteritate per inobedientiam in Paradiso commis-sam. Offendit ergo finitus infinitum, creatura Creatorem, homo Deum in-tantùm; vt Deus, qui erat per amici-tiam coniunctus cum homine, auer-satus est eum tanquam rebellem, in-obedientem & ingratum; perierat er-go in æternum homo offenso Summo Bono, & Infinitâ Maiestate, nisi inef-fabilis Bonitas Omnipotentis inue-nisset modum, quo posset homo pro delicto & reatu suo dignã & æqualem Deo dare satisfactionẽ. Modus autem hic fuit & est; quod secunda persona Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis Filius Dei, Deo Patre absq; Matre an-te sæcula genitus, descenderet de cæ-lis, humanam naturã ex corpore hu-mano, & anima Rationali constantem operante Spiritu Sancto in Vtero Beatissimæ Virginis assumeret; Et qui ante sæcula sine Matre ex Patre na-tus, in tempore ex Matre sine Patre Homo, Deus nasceretur. Hic ergo

Offensa peccati est infinita.

Modus pro ea satisfaciendi ad æqualitatem.

Deus Homo iuxta Diuinam naturam par Patri æterno, qui peccatum non fecit, peccatum Adæ & generis humani Originale & omne actuale in se sumens, oblatus est, quia ipse voluit, & passus est pro salute nostra, vt Deo Patri dignam & æqualem daret satisfactionem. Quo facto genus humanum liberauit à perditione, solus & vnicus Saluator factus est. Et hæc est maxima Dei cum homine coniunctio, quæ indignitatem naturæ nostræ ita eleuauit, ita sublimauit; vt non solùm eam immundissimam ab omni peccato emundauit, sed etiam cum hâc naturâ humana à mortuis resurgens, & ascendens super omnes cælos ad dexteram Patris collocauit; Vltra hoc hanc naturam Nostram, quam semel assumpsit; nunquam dimittet. Ecce vides beneficam hanc generi humano coniunctionem Dei cum homine, quæ coniunctio effecit, vt ex filijs iræ & filijs Adæ peccatoris, facti sumus adoptiui Filij Dei, facti simus cohæredes Christo, imo iuxta eandem, quam habet nobiscum, na-

Per incarnationem quæ nobis collata beneficia.

turam,

Coniunctio secunda Christi cũ Ecclesia.

turam, & fratres ab vnico Filio Dei vocamur. Hic ergo Saluator Noster post primam & tam beneficam coniunctionem cum natura humana, quæ vocatur Incarnatio Dei fecit & secundã Coniunctionẽ nobiscum, quæ vocatur desponsatio Christi cũ Ecclesiâ, Ecclesia etenim, cum sit congregatio fideliũ Christianorũ, omnes qui in ea sumus, coniungimur Christo vt Sponso, facti sumus membra moralia Sacratissimi Corporis eius. O quanta dignatione beamur, dum Ecclesiam Sponsâm suam Ghristus nunquam deserit, Spiritum Sanctum ab ea nunquam aufert, ipse nos fouet, ipse nos tot gratijs & donis ornat, triumphantem Ecclesiam visibiliter in cælis per seipsum; Militantem in terris inuisibiliter per se, visibiliter per vicarium suum & Pastores alios regit. Vide ergo o homo! & hac secundâ coniunctione, quantùm Christo debeas, quàm reciproco eum amore colere teneaaris, quàm assiduè eidem adhærere, qui te toties sibi coniunxit. Ergo opus vt Christus Sponsus inueniat te

sem-

emper Virginem castam, immunem ab amore alieno, præterquam Diuino. Ergo amantem redama, ergo caue peccatum mortale, quod te à Sponso tuo Saluatore Christo separat, tandem nisi pænitentiam egeris, & in perpetuum diuortiat. Et hæc de Sanctissimis Dei nobiscum & Nostris cum Deo coniunctionibus.

Si Moralia spectas per consanguinitatis nexus; per affinitatis gradus; per officia amicitiæ. Hæc coniunctio nos reddet in anima & corpore bene solidatos, compagi societatis humanæ bene inhærentes; Cum enim in vita humana multæ iactationes, multi casus vias nostras obsederunt, à coniunctionibus cum Deo & hominibus quærimus robur, & solidas illas columnas, quæ nos à iactationibus vel eximunt, vel tuentur in illis. Hûc pertinet tractatus publicæ pacis, huc armistitia, huc fædera, huc priuati contractus. Omnia ista sunt coniunctiua; In quibus tamen videndum est cui fidendum, cui coniungendum; Sic hæderæ nullus coniun-

gitur frutex vel herba, quin non consumatur ab ea. Talis est coniunctio potentiorum, talis disimilium in moribus, in natura, in Conscientia, in Religione. Tales coniunctiones cauendæ, in quantum caueri possunt; periculosæ enim sunt, & plerumque exitiosæ. Sic tenellæ plantæ facile turbinibus concuterentur, ni eas sustentamento solidiori hortulana adiungeret manus. Lupuli vis tota humi serperet, nisi adesset pertica, cuius coniunctione in altum assurgeret.

Coniunctus Deo homo omnia vincit.

Quomodo homo aduersis huius mundi resisteret, nisi coniunctione cum Deo, Spe & fiducia in eius bonitate fulciatur? Hâc spe freti Machabæi Fratres ingentes occuparunt victorias. Deo coniunctus Daniel Leonum dentes non timuit; Et Susanna timori intentato non succubuit. Quotidiana monstrat experientia, coniunctionibus ex paruis magna imperia assurgere. Et Vrbem Romanam non omnia ferro subiecisse, sed multa amicitijs Regum & populorum occupasse.

In

In Priuatis verò rebus, quanta Coniunctiones faciant, superuacaneum est recensere.

De Constructione.

VItæ nostræ Oratio, cum non dispar sit ab oratione Oris, non magis hæc Verborum, quam illa rerum constructionem, morumq; curat. Vt enim literæ confusæ vel sparsæ nullam dictionem componunt, vt nomina, verba, pronomina, sine discrimine prolata, nullam Orationem Rhetoricam facient: Sic res accidenles, & substantiæ humanæ, tũ & actiones, nisi certum habeant constructionis modum, honestæ vitæ rationem nunquam explicabunt. Constructio Grammaticalis fundatur in Regulis certis; Constructio Christianopoliticæ& moralis vitæ fundatur in legibus, quæ discendæ sunt, amplecten- dæ & retinendæ. *Leges retinendæ sunt.*

Inter leges aliæ sunt Naturales, & nobis communes cum brutis. Aliæ leges Gentium ab omnibus Gentibus receptæ ex rationis vsu. Aliæ Ciuiles, *Leges multiplices.*

vt leges decem Tabularum ex Græcia allatarum. Item leges Romanorum, leges Imperatorum, Regum, Principum, Rerumpublicarum, quæ titulo legum humanarum comprehenduntur. Aliæ leges sunt Diuinæ, quarũ primæ sunt ad salutem æternam consequendam, secundæ ad gubernandã Gentem electam; aliæ Novi Testamenti ad salutem æternam. Tertiæ ad vitam moralem honestam, ad vtilitatem proximi. Insuper sunt leges Ecclesiasticæ, non solummodo pro Spiritualibus personis, sed etiam pro Sæcularibus. Lex Naturæ data est ab authore naturæ Deo, qui est natura Naturans, & est data Naturæ Naturatæ, quæ est creatura. Hæc lex naturæ iustius obseruatur, & exactius ab animalibus, nam animantia cætera cum statum retinuerunt, in quo sunt producta. Homo verò post lapsum Adæ fert intemperiem humorum, in qua consistit fomes concupiscentiæ, qui naturem deprauat & turbat. Hinc est, quod hoc recalcitrante fomite, non solum naturales,

ſed prorſus omnes tranſgredimur leges, niſi timore Dei, exercitio virtutum, gratiâ Dei adiuuante vincamus hunc fomitem, impetus eius coerceamus. Vnde leges nihil aliud ſunt, quam fræna quædam cupiditatum Noſtrarum, & norma actionum. Quælibet enim lex & pænam, quâ frænat, & præmium quo allicit, & doctrinam, quæ inſtruit, in ſe continet.

Lex fræna eſt cupiditatū.

Leges Diuinæ ſunt datæ vel ab ipſo Deo, vt decem præcepta, vel à Filio eius vnigenito, vt amare Deum & proximum. Et alia quæ in quaternione Euangelico continentur. Aliæ Leges ſunt datæ à Deo per homines, vt in veteri teſtamento per Moyſen & Prophetas. In nouo teſtamento per Apoſtolos Sanctos. Habuit & Eccleſia veteris teſtamenti ſuas leges, quæ conſiſtebant in interpretatione Scripturarum: Solis enim Sacerdotibus hæc erat conceſſa à Deo. Habet & modo Eccleſia S. leges, quas Authoritate Diuina ſcribit & ſcribet fidelibus, Magiſtro Spiritu S., qui datus eſt illi, &

manebit cum ea ad Consumationem sæculi. Hæ leges ergo, quæ S. Ecclesia sub vno Capite Vicario Christi congregata scribit, seu circa fidem, seu circa mores, sunt leges, quæ primum locum habent post diuinas, imo diuinæ sunt, si respicimus verum Deum Spiritum S. harum legum dictatorem. Quanta Legum autem in deprauata Nostra natura est necessitas, experieris vlteriori vitæ tractu. Nunc disce Deum esse retributorem malorum & bonorum, quia iustus est. Bona autem vel mala non cognoscuntur, nisi ex lege. Si est actio contra legem Dei, est peccatum, quod Deus punit. Si est iuxta legem Dei est virtus, quam Deus præmiat vitâ æternâ & temporali. Ergo ad salutem animæ tuæ habendam debes omnino leges Sanctas scrutari, vt iuxta illas opereris, & merearis Dei gratiam, quæ te æternum felicem reddit. Tolle has leges Diuinas ex corde tuo, sustulisti eo ipso gratiam Dei, factus es impius in Deum, & in æternum damnaberis.

Leges Ecclesiasticæ post diuinas primum locum tenent.

Hu-

Humanæ leges præstant, vt tu securè viuas, securè res tuas possideas, quas habes, quod te fortior non occidat, quod te egentior tibi non eripiat bona tua, quod te de gradu honoris nemo deturbare audet, quod tibi famuli seruiunt, quod tibi subditi obediunt. Totum id legum beneficio debes. Ergo tu primus eas debes obseruare erga alios, si vis vt alij erga te easdem obseruent. Tolle leges humanas, in domo tua securus non quiesces, Curabis tibi coqui cibum, & alter illum comedet; Indues honoratam vestem, & legibus solutus homo te exuet illâ. Nihil possidebis, quod tibi non eripietur. Quanta ergo sunt beneficia legum, nunc disce, post experiare. Ergo amabis eas, vt fontes omnis boni, vt fundamenta quietis & dignitatis tuæ, vt Anthidota malignitatis humanæ.

Securitas publica ex lege.

Ad omnes ergo supra dictas Regulas & leges, quas cum tempore Christianus Grammaticus discet, applicabitur vitæ Nostræ Oratio; Iuxta has, substantiua nostra cum adiectiuis,

Aduerbia, præpoſitiones, & Interjectiones noſtras regulabimus. Vnde famoſi illi legum Diuinarum, Patriarum, contemptores & euerſores, quæ non paſſi ſunt? Adam vix legis Diuinæ cancellos perrupit, & ecce miſer factus, abſcondit ſe, nuditatem ſuã cognoſcit, ex paradiſo voluptatis eijcitur. In ſudore vultûs manducat panem, rebellione ſubiectorum hactenus animalium punitur, ex Principe rerũ creatarum, vagus, & aggreſtis homo factus eſt. Caim naturalis legis tranſgreſſor ecce quàm pallet, quanto timore cruciatur, dicens: quicunq; occidet me, Literas Salui Conductus poſt peccatum petit à Deo. Ciuitatem ædificat, & muro cingit ſecuritati ſuæ conſulturus, & qui non temeratis legibus ſecurus viuebat, nunc inſtigante Conſcientiâ, timet ſe occidi etiam tum, dum nemo in illum armaretur. Iulius Cæſar quàm obſequentem habet militem, Cui Patriâ lege imperat; Calcatis demum legibus, eundem militem audit tumultuantem & dicentem, Rheni

Legum contemptores miſeri.

mihi

mihi Cæſar in vndis, Dux eris hic Socius,facinus quos inquinat, æquat,ita miles in eodem ſcelere cum Capite ſuo deprehenſus, ſocius vult eſſe & æqualis in tantum, vt Cæſar quibus imperabat, eos precibus mulcet, & pro libitu pectus denudat feriendum, vt commiſerationem excitet. Tanta vis eſt legum conſeruatarum, tanta pæna infractarum. His dictis ad particularia deſcendamus.

Primo, Subſtantiua, de quibus ſupra diximus noſtra ſeu Chriſtiana, quæ ad ſalutem pertinent; ſeu Politica; quæ ad gubernationem Reipublicæ ſpectant; ſeu Moralia; quæ priuatos concernunt mores, debent conuenire in genere numero & Caſu cum Aiectiuis fortunis, honoribus, dignitatibus noſtris. Quod faciemus adtum, dum curabimus, vt eiuſdem generis ſit adiectiuum operationum Noſtrarum, cuius & ſubſtantiuum ſalutis noſtræ; Si enim Subſtantiuum noſtrum eſt ſalus æterna, debemus illud fortunæ noſtræ vel diuitiarum vel honorum quærere adiectiuum, *Subſtantiua Chriſtiana & Politica & moralia conueniant cum adiectiuis Fortunæ, honoris, &c.*

 quod

quod decet Christianum hominem, quod non discrepat genere à Substantiuo eius, scilicet: ne dum profitemur curam salutis ore tanquam Christiani, cæterùm opere viuamus tanquàm Pagani. Ne dum Substantiuum nostrum sciamus breuitatem vitæ, nos ad vitam necessaria tanquam æternum victuri corradamus. Ne dum Substantiuum nostrum sciamus esse vitæ honestatem, ea prensemus adiectiua, quæ honestati nostræ sunt contraria. Ne dum Substantiuū Nostrum sit, esse Ciuem Reipublicæ, viuamus in ea modo hostili, sæuiendo in Patriam, & in eius Ciues, factione, contemptu legum, calumniâ, & similibus: Ista adiectiua nunquam conuenient cum tuo substantiuo, nec genere, nec numero. Quilibet homo in statu suo recogitet Substantiuum suum, ad quod alia non admittat adiectiua, nisi eiusdem generis & numeri. Es nobilis, sectare adiectiua nobilia. Es plebeius, non erubesce adiectiua cum substantiuo tuo concordantia. Libertatem habes dicendi, noli

Status proprius recogitandus & conuenientia ei debent practicari.

noli eam mancipare per adiectiua respectuum priuatorum, vtilitatum, & commodorum vtilium. Turpe est aliud habere substantiuum vocationis, & diuersum adiectiuum gerere actionis & vitæ. Vide quantopere deuiauit Nero in hac Constructione, consedit in loco Patris Patriæ, qui tituli substantiui erant; Vide quàm discrepantia adiectiua, cruenta Tyrannis Matris; Præceptorum, Fratrū; amicorum tum & Ciuium. Domitius habuit substantiuum Imperatorium, adiectiuum quale assumpsit, nec genere nec numero conueniens, dum Muscis bellum indicit, easq; tanta auiditate sectatur. Alter Imperatorum crebrior inter Agasones, eodemque cratere cum equo facto Consule crebrius compotans, quàm in Senatu Consulens. Theophilacti Constantinopolitani Præsulis quis ignorat quale substantiuum vocationis erat, quam diuersum adiectiuum? duo millia equorum, loco pauperum, crizo & aquâ cum cynamono coctâ sustentabat, ad nuntia nati puelli equini, ab

Quam turpe sit, non viuere secundū statum suum, inductionibus ostenditur.

altari

altari recedebat. Tandem ad murum equo, cui insidebat, allisus, pessimæ constructionis pro equilium adiecti- uo dedit pænas, prout & illi priores. Nam malam vitæ nostræ constructio- nem, sequitur destructio tam æterna quàm temporalis.

Creatu ra meminerit relatio nis suæ ad Deū

Secundo. Relatiua tibi sint sem- per in mente, quæ pertinent ad Con- structionem vitæ tuæ. Es creatura, Ergo memineris relationis ad Creato- rē. Relatio enim nihil est aliud, quam pertinentia huius rei ad hanc rem in- separabilis. Vt si es Filius, necessario habere debes relationem ad Patrem, debes eum honorare. Si Polonus es, ergo Polonia chara tibi esse debet propter relatiuum Originis. Cur er- go abis in transmigrationem Gen- tium ? cur mauis viuere, vt non Po- lonus, & tamen Polonus vocari. Vt autem sis talis, qualem te vult esse relatio, disce relationis tuæ leges. Sic honestus vir, dicit relationem ad honestas actiones. Ergo illas sectari oportet, nam relatiuum Nomen in- separabile est à sua Origine, vnde de- riuatur.

Talem te vbiq; exhibe qualis re ipsa es.

riuatur. Homo dicit relationem ad humum, ergo humilis esto, nam si superbieris, quomodo eris homo? Dominus dicit relationē ad id, quod plus seruat, quàm dat in expensas. Ergo si prodigalis fueris, mox dominus non eris. Magnifici nomen dicit relationem ad magna facta. Tu si otiosus es, & nihil agis, pulcherrimæ Relationis amittis fundamentum, & & mentiris te id esse, quod nō es. Generosus diceris à generatione Nobili præclara, si nihil generosi agis, sicut degener viuis; quomodo relatiuum generositatis tuæ subsistet? Nam relatiuá debent cohærere cum antecedentibus suis in genere & numero, vt actiones illustres cum illustritatis titulo, quem geris.

Homo etymo suâ humilitatis admonetur.

Substantiuum Verbum petit & ante se, & post se, Casus Nominatiuos, id est casus rectos, ita, vt vbicunq; de Substantiuo vitæ tuæ vel vocationis agitur, debes semper virtutes in recto Casu locare reales non fictas, non obliquas, ne Deo hominibusque illudere credaris. Omne verbum ope-

Virtus vera sectanda.

rationis

rationis tuæ habeat datiuum Casum, vt scias cui hoc opus, hanc actionem impendas, cui bono aliquid facis, vt scias actiones tuas non perituras, si illas Deo dicaueris. Si honori eius, si gloriæ propagandæ, Reipublicæ obsequio, si amicis & proximo, si saluti tuæ, & veris vtilitatibus tuis. Quod si vanitati, quod si improbitati, quod si sceleribus; perdidisti: si his Casibus datiuis vitæ tuæ rationem dedisti. Ergo ante omnes Actiones sit tibi illa tessera in mente; Cui bono hoc vel illud facis?

De Generibus Nominum.

GRammaticus Literarius Genera Nominum cognoscit ex terminationibus. Christianus Grammaticus de genere Nominum, quæ rebus tribuit, inquirat à terminationibus earundem rerum, ne rebus mox desinentibus, quæ sunt de genere transitorio & perituro, quæ sunt de genere fragilitatis humanæ, tribuat nomina dura;

Res trãsitoriæ ex terminatione cognoscuntur.

duraturi & æuiterni generis, quæ de-berentur veris & solidis bonis. Hæc enim nomina perperam intellecta fascinant mentes hominum, vt falsa pro veris accipiant; peritura pro duraturis; Sic ipsi nobis somnia fingimus quibus decipimur. Vnde distinstinguendum est nomen felicitatis æternæ, à felicitate momentanea; quæ non solum genere sed & specie differunt. Si enim pudet Grammaticum Literarium ponere nomē fæmineum, vbi virile competit; Quanto magis prudentem & professionem veritatis præseferentem Christianum nō pudet rebus alterius generis nomina dare? nisi forte vitio sæculi præsentis se excusare vellet; quod amplius in latina lingua latium morem non retineamus, & viros allocuturi, muliebres dominationes, Illustritates, Magnificentias proferamus. Qua de re elegantem fecit ille reflexionem, qui docuit, non tam homines nos alloqui solere, sed fortunas & dignitates eorum. Ideoq; eiusdem generis, cuius &, fortuna damus nomina.

Felicitas æterna à momentanea distinguenda est.

Quæ-

Quæras ergo nomina rebus terrenis terrena, rebus diuinis, diuina. Ex terminatione disces, quali egent nomine. Si res sunt tempore breui terminandæ, vt quid hæreditarias, vt quid perpetuas appellas? & alterius generis nomina tribuis? Si mundus iste tam paruus est, vt vnius puncti terminetur angustiâ respectu vniuersi; Quid ergo vocas magna; quæ sunt tam parui mundi minima? Quis in puncto inuenit lineam, quis in paruo magnum. Cum videris hominem non posse se ab infirmitatibus, à morbis, à passionibus eximere, esse tam imbecillem, vt se nequeat vincere: Quid ergo illum vocas potentem vel potentissimum? Nomina generis alterius tribuis? Si confidis homo in homine magis quàm in Deo, diuersi generis nomen imponis homini, cui hæc fiducia non debetur, sed Deo. Vnde ad hanc vsq; diem confunditur Alexander Macedo, quod is, qui se Deum appellari voluit, primo accepit vulnus vt homo, postea veneno occubuit vt non Deus, cumq; se iustum

Nil in mundo magnū est.

iustum credi voluit, obiectum rite sibi à Scytha audiuit, quòd, dum persequeretur paruos prædones, ipse fuerit magnus Orbîs deprædator. Sic Pater eius Philippus dum victorijs intumescit, bene monetur ab amico, vt metiretur vmbram suam, & nihilo auctiorem reperturus. Bene Saladinus seipsum cognouit, ex vitæ propriæ terminatione, cum indusium lanceæ impositum, circumferri iuberet & inclamare: hoc sibi solum restare de spolijs Orientis. Adeò nunquam melius genera nominum Nostrorum cognoscimus, quàm si à terminatione, in quam desinunt, acceperimus. Sic Persarũ Regibus salutifera fuit ceremonia circa inaugurationẽ, cũ inter gratulantiũ applausus præsentarentur ipsis diuersa marmora cum interrogatione: ex quo placeret magis sibi construi tumbam, in qua omnis Maiestas & humana terminatur magnitudo? Vnde apposité hîc adscribi possunt versus, ostendentes cuius generis fuerit Magnitudo Nominis Alexandri.

Ceremonia Persarum salutifera.

Æstuat infelix angusto limine mundi
Nunc brevibus clausus tiaris, paruâq;
Seriphis.

De Declinatione Nominum.

Declinanda omnia mala Christianus debet non per casus sed per operationes

OMnia mala nomina, à te teneris declinare Christiane Grammatice, quæ declinationes non per casus, sed per bonás operationes fiunt. Teneris nomen bonum, curare magis, quàm diuitias. Teneris declinare nomen impij in Deum & in homines, raptoris, auari, scelerati, mendacis, inhonesti nomina debes declinare: Nisi declinaueris, perijsti coram Deo & hominibus, Nec prodest, quod aliquas habeas virtutes, si plus est vitiorum: Nam à potiori fit denominatio. Vitabis autem mala nomina, si per bonas operàtiones merearis bonum nomen. Scias in libro vitæ apud Deum scribi bona nomina, mala, sepeliri in inferno. Scias bonum nomen in Republica priùs in cordibus hominum scribi, postea marmoribus incidi

incidi, & perennaturis inseri fastis, Cathalogo memorabilium virorum inscribi, & post fata alterâ vitâ in terris donari. Viuere in hominum memoria ita, vt videmus viuere eos, quorum memoria nõ cumulatur cum cineribus. An non viuunt Alexandri, Pompeij Cæsares, Metelli, Fabricij, Cicerones, Senecæ? qui ab omnibus Literatis noscuntur, laudantur, & imitationi proponuntur. An non viuunt quibus imitatio parit filios persimiles? Et quemadmodùm illi, quorum à malo nomine durat memoria, ad hanc vsq; diem moriuntur, dum damnantur & maledicuntur, vt ille Hesostrates, qui incendio templi infamis, vel Busirides crudelitate, vel Nero infamijs, quorum perpetui ex memoria humana continuantur agones. Ita quorum bona Nomina vigent, florent post sæculorũ reuolutiones quomodò ampliùs non viuent? Ergo qui curat bonum Nomen, curat vitam æternam in cælo, vitam perennem in Republica, & in familia. Iste non moritur

Posthuma gloria ex diuersis virtutũ & dotiũ generibus.

Quidã per scelera gloriam quæsiuerunt.

totus, cuius pars maxima viuit! Ergo ita viue, vt sis semper memor nominis boni, vt continuò discas mala nomina declinare a te, declinare à Republica, à familia tua, vt nomen tuum sit in benedictione.

Bonum nomen curandum.

Declinabis & ea nomina, quæ tibi forte dabunt adulatores tui, homines vani & improbæ vitæ. Quod enim bonum nomen ab his habere potes? Nemo dat quod non habet. Mali sunt bona nomina dare nõ possunt. Ea enim sunt bona tantùm nomina, quæ tibi viri honesti & recti tribuunt ex merito. Et quemadmodum te affligere non debent mala nomina, nisi tum, cum tibi illa darent viri graues, viri recti. Ita te extollere non possunt pulchra nomina & speciosa, quæ tribuunt illi, qui tui sunt, vel commensales, vel potatores, vel Commensales, vel eodem tecũ laborantes morbo; nam nisi laus tua vera sit, laus non est.

Adulatores & corruptæ mentis homines fugiendi.

Laus à viris rectis vera, ab adulatoribus ficta, & spernenda.

De Præteritis & Supinis.

GRammatica Latinitatis tractat hîc de Verbis Præteritis & Supinis.

nis. Grammatica Christiano-Politica dabit hîc aliquot regulas de Verbis, quæ idem sunt cum factis tam præteritis quàm Supinis. Præterita vitæ nostræ factorum verba debemus coram Deo sincerâ pænitudine, & vero cordis dolore purgare; & satisfactione pensare Cum enim Deum nihil præterit, delicta nostra vt præsentia semper cernit, eaq; & in hâc, & in illa vita punire parat iustus Iudex, è cuius manu nihil nos eripere potest, cuius indignationi nihil nos subtrahere valet. Si ascenderimus super omnes cælos, ibi est, si descenderimus vsq; ad inferiorem infernum, ibi quoq; adest. Ergo dignos fructus pænitentiæ pro præteritis nostris reatibus agere debemus tum, cum S. Mater Ecclesia pro nobis orat, tum cum præterito tempori præsens tempus gratiæ suffragatur, quamdiu sumus sani, quamdiu iusto Dei iudicio non sumus dati in sensum reprobum, tanquam à Deo relicti. Futurum hîc tempus periculosum est. Nec scimus an nostrum cras sit. Quis nouit an

Præterita vitæ nostræ verba pænitentiâ expurganda.

Dei immensitas vbique est.

Mortis hora incerta. hâc die, hâc nocte, quod alijs factum, nobiscum non fiat? vt moriamur; post mortem non est tempus gratiæ ampliùs, nisi iustitiæ. Ergo recogitare debemus annos nostros, non enim scimus numerum dierum nostrorum qui sunt, vel qui erunt. Mors certa & iudicium, vita incerta. Ergo præteritorum factorum nostrorum constructio, fiat cum Confessione vera & sincera in Grammatica Christiana. *Facta maiorũ recolenda.* In Grammatica tua vero Politica noscenda nobis sunt verba, seu facta Maiorum nostrorum præterita, noscenda & Gentium & Nationum docente historiâ, ab his enim omnibus instruimur & consilium præsens semper de præterito venit. Statista debet multa de futuris coniectari, quod est genus Peophetiæ Politicæ. At quomodo hoc rite faciet? *Præterita cũ futuris conferenda.* nisi seriem causarum Antecedentium cognouerit, nisi præteritas rerum vices obseruauerit, nisi similes euentus similium Causarum connotauerit, cum in hoc Orbe terrarum omnia in Orbem reuoluantur; Et testante Scri-

ptura

ptura S. Quid est quod nunc est, nisi quod iam fuit, & quæ ventura sunt, iam præcesserant. Ergo ex præteritis non solùm præsentia, sed & futura constant. Cum autem præterita in solis historijs vestigia sua relinquunt, necessarium est ea nosse, vt Reipublicæ bene consulas. Vnde non aliam ob causam senibus est relictum Consiliũ, nisi quod senes sint viuæ præteritarum rerum historiæ, in volumine memoriæ impressæ. Vis esse Senibus Senior, disce altiorum temporum & sæculorum historias præteritas, & iam tot sæculorum eris Senex, quot quot ætatum historias mente tenueris. Plus dicam vis mille annos viuere, ipsum Matusala ætate superare; mille annorum historias noueris temporis præteriti, & vicijs tanquam in speculo mille futuros años conspicies, quæ enim ventura sunt, iam præcesserunt, & denuo in suum Orbem reuoluentur, mutatis nominibus & tempore, res eadem recurrit. Ex eodem præterito non solùm in publico tibi consulendum est, sed & in priuato.

Historiam sciat, qui vult rectè cõsulere Reipub.

Defectꝰ heri cõmissi, arcent nos,

ne simi les hodie cõmitta mus, si seriò, cognoscantur. Recogita errores tuos hesternos, & habebis hodiernos Magistros, & ex ijs disces, quid tibi heri obfuit, quid profuit. Hæc est tutissima Consilij via, si heri in hoc vel illo deliquisti, hodie te corrige. Si tibi nudius tertiùs loquacitas obfuit, disce tacere, vt tibi silentium prosit. Eâdem ratione & sanitati tuæ consules, si videris te hæsterna ingluuie læsum, pensa certe hæsterna abstinentiâ, si hoc vel illud sarorem abstinentiâ, si hoc vel illud sanitati tuæ obfuit, vita vt nociuum in posterum, sic tibi medicus eris; sic proficies præterito tempore, præsenti, & futuro.

Supina Christiani sunt omissiones bonorum. Numerat & nostra Grammatica non solùm Latina sua Supina. Prima Supina nostra in factis, sunt peccata Omissionum per supinam negligentiam, incuriam, quæ animam grauant æquè vt realiter commissa, maximè verò virorum in dignitatibus constitutorum, redduntq; homines similes illi Euangelico seruo nequam, qui creditum sibi talentum fodit in terram, & quia lucrum omisit, amisit. In Politicis Supinum peccatum est

eadem

eádem omiſſio bene gerendarum rerum, maxime, vbi negoria momentis conſtant. Et idem eſt omittere, quod amittere. Sunt & alia verba vitæ noſtræ Supina, ſcilicet illa facta, quæ negligenter agimus ſine vigore, proijcimus ita, vt exſurgant nunquam. Fiunt & homines Supini, quoties mala Reipublicæ non ſentiunt, etſi ſentiant, non excutiunt, ſed Rempublicam Supinam in ijſdem relinquunt. Sunt & leges Supinæ, quæ nō obſeruantur, quæ non animantur executione. Et quemadmodùm verba Latinitatis in Supinis finiuntur ſepeliuntur: Ita anima noſtra in Conſcientia, ita Reſpublica in Conſilijs, & Priuata in induſtria, ſi ſe Supinam viderit, actum eſt de illa. Ergo erigendæ ſunt actiones noſtræ, dandus vigor à zelo honoris Dei, ab amore Patriæ, à Cura ſalutis æternæ petendus, cum tamdiu viuamus, quàmdiu agimus. Vita enim eſt principiū motûs & actionis. Qui Supinus eſt, vix viuere dicitur, cum nec liberè reſpirare poſſit, per conſequens nec ſperare.

Supina Politicè ſunt omiſſiones bene gerendarum rerum.

Ita tamen agendum eſt, vt non credamus omnino talem actionem, talem ſequi effectum; tale Conſilium tali coronandum ſucceſſu. Hanc curam penſandam præmio. Nam eſt Deus ſupra nos, eſt prouidentia, quæ regit vniuerſa, quæ melius ſcit, quid nobis expediat. Nos è contra multa noxia ſub ſpecie boni appetimus. Vnde diuina Bonitas tales plerumq; in nobis corrigit errores, conatuſque noſtros aliter vertit ſine iniuria noſtra, vel ut diſcamus ſuprema iura eius agnoſcere, vel ut nimium noſtris non fidamus viribus, vel uț vt tandem ſine eius nomine nihil credamus eſſe in homine. Ergo hæreat menti noſtræ continuò reſignatio voluntati Dei omnium actionum noſtrarum, ita vt ſucceſſum earum à Deo eiuſq; voluntate pendere arbitremur. Nec ſimus tam barbari & in Deum iniurioſi, vt ille, qui hoc ſolùm à Dijs precabatur, vt neutri eſſent. Nec tam arrogantes, vt Octauius Cæſar, qui inuito Neptuno iactabat ſe expugnaturum Sextum Pompeium, & Sycyliã

Prouidentia Dei ſupra nos.

Reſignanda eſt voluntas noſtra Diuinæ

Nec tam temerarij ſimus, vt ille Romanus Conſul, qui contra Auſpicia pugnare auſus. Nam ſi falſa Numina ſe vindicarunt à Contemptoribus ſuis, quid fiet nobiſcum, qui verum Deum honoris zelotem non ignoramus? Ergo cum timore & tremore operemur, quidquid agimus; ſi bene ſuccedunt actiones noſtræ, non referamus ad induſtriam & Sapientiam noſtram.

De Conſtructione Verbi Activi.

VItæ noſtræ Oratio præcipuè conſtare debet ex Verbis Actiuis, tota enim vita in actione conſiſtit. Dum agimus, viuimus. Quicunq; eſt ſine actione, vix inter viuos computari valet. Hinc ille Romanus Ciuis, poſtquam ſeptuaginta tranſegiſſet annos, dum ad calculum verba ſua Actiua reduceret, reperit triennio tantùm ſe in actiuitate fuiſſe, cætera otio & crapulâ ſomnoq; conſumpſiſſe, exclamauit. Ita ne ſeptuagenarius Senex non niſi tribus vixi annis? Ergo vitæ detrahi-

Vita noſtra tota in actione ſiſtit.

Non computatur in Numerum annorum quod otio transfigitur.

trahitur, quidquid otio additur. Er-
go homo nihil agens, deses, & vitio-
sus degens, computatur cum ijs, qui
non sunt nati, nec viderunt solem.
Vnde ita à natura instituti sumus, vt
laboribus, sudoribus, solidetur cor-
pus nostrum, acquirat vigorem & ro-
bur per exercitia. Corpus imò & ani-
mus, vt ager excolitur, & nisi cola-
tur, vt inculta siluescet terra, lolia
miseriarum, & tribulos vitiorum ger-
minat.

Otij damna

Hebetatur ingenij acumen
per otium, per ingluuiem & reliquam
intemperiem: Sic quotquot videri
malè sanos corpore homines, pallidos
luridosq́, vultus, mole nimiâ adipi
grauata corpora, plerumq́; otium v
tæq́; intemperies in Causa erat. E con
tra qui in labore, in sudore transig
runt iuuentutem, vitam diuturnio
rem possident, senectutem lætam & v
getam, conscientiam serenam, op
& fortunam validam. Certùm eni
est laboribus omnia à superis vend
Fugiendum itaq́; per omnia otium
quod est puluinar diaboli, morboru
& paupertatis Origo. Ergo Ver

Actiua

Actiua habeat vitæ nostræ oratio cũ ea constructione, vt semper nobis in mente sit æquè latinæ quàm Christianæ Grammaticæ Regula, quòd verba Actiua post se habeant casus accusandi; Siue enim benè egeris, iuxta legem Dei vixeris, legi humanæ parueris, Officium tuum strenue peregeris, inuidia casus excitabit accusatiuos, post quodlibet verbum actiuũ: Siue male egeris, hoc illud non benè feceris, hoc crimen patraueris, qualecunq; & vbicunq; verbum actiuum feceris, accusatiuum casum iustitia dabit. Hoc tamen discrimine, quòd dum bene agis, nonnisi malè tè accusabunt, bonas actiones perperam interpretabuntur, fucum facient realitati tuæ. Quod si malè feceris, accusabit te propria conscientia, accusabunt leges humanæ & Diuinæ, accusabunt te viri probi in tribunali Dei Iudicis, in tribunali bonæ famæ & posterorum memoriæ. Ergo tempestiuè recogita, qui accusatores tibi grauiores futuri mali an boni? accusatores tuos, qui te pro bono ope-

Accusationes nostræ siue bonæ siue malæ accusatiuo casui subiectæ.

Peccati accusat conscientia & leges.

re accuſabunt, confundet veritas, refutabit innocentia tua, ſumes ex illis talionem in omni tribunali; habebis innocentiæ tuæ Patronos in cælo & terra. Cum iudicaberis, exibis à iudicio Cauſæ tuæ victor. E contra vero, ſi Verbum Actiuum tuum malum eſt, Accuſatiuus, qui illud ſequetur, eſt interitus tuus, conuincet te Conſcientia propria, mille teſtes, conuincent leges, conuincent viri probi, vindicabit Deus qui iudicabit viuos & mortuos.

Teſtimoniũ bonæ Conſciẽtiæ vel malæ.

Ne mireris tamen, quod ſiue mala, ſiue bona Veba tua Actiua neceſſariò ſequatur accuſatiuos: Iuſtus Iudex Deus eſt. Accuſantur Actiua mala tua vt puniantur, accuſantur Actiua bona, vt tanquam aurum per ignem probentur & eluceſcant. Vt tu etiam optima quæq; agens ſerues modeſtiam, ne de bono opere extollaris, vt exercearis, vt perſeuerantiam in bono acquiras, & præmium merearis, ſi vſq; ad finem durauerisNonne bona verba Actiua fuerunt Iuſti Iob, & tamen accuſatiuus Sata-

Vtile eſt quòd bona noſtra incuſentur.

næ

hæ Casus sequebatur illa, sed post accusationem, post probationem gloriosior venit victoria. Nonne Marcus Cato Actiua Verba, eaq; & bona & optima proferebat dum tumultuantis populi lapidibus peteretur, dum ex rostris per apparitorem detraheretur, dum ad carcerem duceretur, quò eum ex senatu viri recti, & ex populo prudentes sequebantur. Ergo necessariò sciendum est, post actiua sequi casus accusandi. Verba actiua in Grammatica Latinitatis, quæ vocantur verba accusandi, absoluendi, damnandi, emendi, vendendi, præter casum accusatiuum, admittunt & Genitiuum. Eadem est constructio & in Grammatica Christiana, quod præter accusatiuum Casum Verba accusandi, emendi, verba damnandi, habent & genitiuum Casum, id est: quòd seu per accusationes iniustas, per absolutiones corruptas, per damnationes innocentum, per emptiones iniquas contracta parentum vitia, puniuntur in Casu Genitiuo, & transeunt ad generationem

Peccata Genitorum puniuntur ad quartam generationem.

quar-

quartam, aliquando & ampliùs. Deus iustus est, scelera Patrum vin- dicat in filijs, non gaudet tertius hæ- tes de malè acquisitis Parentum. In- famia Patrum labem inurit proli. Er- go hi genitiui Casus, qui sequuntur Actiua hominum verba, debent de- terrere homines à male agendo. Pec- cauit Dauid, venit cum accusatiuo casu Propheta, Accusatiuum sequi- tur Genitiuus casus filij; qui ex pec- cato natus erat. Peccarunt in liberam Rempublicam Crassus Pompeius, & Iulius, per conspirationem in Patriæ libertatem, diuiserunt sibi Orbem, Asiam, Africam, & Europam: puni- ti sunt non solùm in casibus Nomina- tiuis, sed & in genitiuis. Quilibet il- lorum in ea Orbis parte, quam rapuit, perijt. Crassus funeri filij tribus die- bus superstes. Pompeius sua post fu- nera habuit superstites, sed miserè pereuntes filios. Iulius filios non re- liquit. Ergo domibus & familijs suis casus inducunt Genitiuos, qui in Deum vel Patriam male agunt, & Ca- sus illorum accusatiuus manet in per- petuum.

Peccatũ in Patriã punitum.

De

De Constructione Verbi Passivi.

VT actiua Orationis nostræ verba cum accusatiuo construuntur, vt dictum est supra; Sic Passiua construuntur in ablatiuo casu. Ex supra dictis patet Actiua Verba transire in Passiua, propter accusandi casum. Patimur pro bonis actionibus à malis hominibus, patimur pro malis à bonis, legibus, imò & Deo ipso. Casus Ablatiuus, qui sequitur Verbum Passiuum, est magna patientis hominis consolatio, quòd Deus per casus ablatiuos breui à nobis auferet ea, quæ patimur, nec nos patietur consumi malorum congerie. Sustine Dominum dum te visitat in virga ferrea, in aflictione. Sustine in patientia hominem malum, mox aderit casus ablatiuus, mox liberaberis à malo; vicissitudinis leges, vt te non patiuntur semper felicem, ita te non patiuntur diu infelicem. In omni verbo tuo passiuo recurre ad Ablatiuum, & vi-

Sæpè vapulamus prò bonis.

Patientia commendatur.

 de

de, à quo premeris, à quo Actiuum tuum in Passiuum versum est, & videbis, quod à Deo ita disponente; deprehendes, quod ab homine Deo permittente. Soletur verbum tuum Passiuum, hic ablatiuus casus, à quo tibi hæc prouemiunt. Forte à teipso, quod tibi malum ipse causasti, forte à natura malignante vicini tui, forte à mala informatione, quam habet de te hic vel alter amicus, forte ab incircumspectione tua. Recurre ad Ablatiuum Casum, & nominatiuum tuum corrige, sic reperies medelam passiuorum tuorum. Ioseph Patriarcha quanta passus est, quanta & Susanna, sed non diu, Ablatiuus casus abstulit persecutores, coronauit patientiam. An non bonum Actiuum Verbum erat Ciceronis, dum Rempublicam à Conspiratione vix audita eripuit? Sed inimicorum inuidiâ verbum actiuum eius in Passiuum versum est, abijt in exilium: Sexto demum Mense maiori cũ gloria vir sapiens & patiens redijt, ablata est ab eo omnis opinio mala, triumphauit rectitudo,

Consolationis motiva in afflictione.

Passi-

Passiua ergo verba sunt exercitium virtutis nostræ, probatio fidei in Diuinis, in humanis virtutis sinceræ exploratio. Insuper nulla patientia est sine præmio, aduersitatum ignis auream probat virtutem in fornace patientiæ. Quomodò appellabis militem, qui nunquam vidit hostem? quomodò emeritum dices, cuius dies sine lucta transierunt? Quomodò lauream Coronam impones ei, qui nullum hostem vicit? Quomodò sapientem videbis, nisi videris patientem? Videbis quomodò Ecclesia Dei proprio sanguine purpuratos veneretur Martyres Sanctos, quomodo festa illorum sub Capite Martyrũ Christo Domino cunctis fidelibus celebranda proponit, & imitanda, propter tam eminentem Sanctæ patientiæ virtutem, quæ sola verè magnos efficit heroes. Hâc nihil augustius & splendidius virtute. Nec inter Romanos tot victoriosi Duces vno clariores Regulo, qui inuictâ patientiâ pro Patria omne genus superauit crudelitatis. Minabatur illi Carthago

Per aduersa exercemur in virtute.

Insigne Magnanimitatis exemplum.

ecu suo captiuo acerbissimam mortem per tot crudelitatis gradus ad eandem, nisi pacem persuaderet Senatui Populoq; Romano, nisi quadringentos captiuos in commutationem sui à Romanis dandos euinceret. Quid ille ad hæc? Sub iuratoria sponsione venit Romam, bello Carthaginensium captum mancipium se esse professus, quò ad Corpus, quò ad animum, qui capi nequibat, Romanum Ciuem se esse asserens; petijt primò à Romanis pacem tanquam mancipium Carthaginensium; sed posterâ die tanquam Civis Romanus, quò ad animum dissuasit eandem & demonstrauit non esse tanti senile corpus suum, vt quadringenti Nobiles Captiui pro illo commutarentur. Assurexit totus Senatus, viro suasit, ne rediret ad crudeles Dominos, & cum Romani deberent continuare bellum, etiam pro illo libenter pugnare volebant. At ille memor iuramenti hostibus dati, noluit periurio offendere Numen, quod irritatum à sua Patria posset exigere pænas.
Dumq;

Dumq; iam ab Vrbe reditum pararet, desideravit Consors & proles eius, hæc videre Maritum, illa Patrem. Negauit vtrique petitionem dicens: Debere erubescere fæminam, quæ viro Consulari & Triumphali nupsit, fateri se consortem mancipij Carthaginensium. Debere prolem è Cive & Senatore Romano natam, cauere, ne Patrem suum videat seruum alienum, his dictis, inauditâ patientiâ quindecem dierum Martyrium pro gloria, pro Republica sustinuit, in crucem insuper actus tanquam triumphali curru superauit, gloriâ inuictæ patientiæ pro Patria. At hic gradus patientiæ cum sit heroicus, non cuilibet licebit adire Corynthum. Ergo saltem pro amore Christiano, pro amore Pacis, pro amore boni publici exercenda est leuior patientia, practicanda verba Passiua, si nimirum defectus proximi nostri, defectus amici, importunitates & morositates Christianorum, Concivium nostrorum feremus patientes. Eo attento quòd & nos non

ſimus omnibus numeris abſoluti, habent & amici quod à nobis patiantur, habet & Reſpublica, habent & Concives, in quibus nos tolerant. Cur ergo idem nos exhibere mutuò detrectamus, durum contra durum poſitum non facit murum, niſi molliori calce iungantur. Patientia eſt filia Charitatis in Eccleſia Dei, in Republica, in domo ad inſtar calcis eſt, iungit lateres, ex quibus parietes conſurgunt. Vnde in Eccleſia Dei Hæreſiarchæ, in Republica & domo priuata ſeditioſi, vel eo ipſo ſunt ſine Sapientia, quia ſine patientia. Et quia per Superbiam ſupportare vel mores, vel leges, vel diſciplinam nequeunt, ſeparant ſe à Communione. Hinc ſciſſuræ, hinc fiſſuræ, hinc caſus rerum publicarum, nam hæ non habent priuilegium Eccleſiæ Dei, quæ ſola ſpeciali gratiâ Chriſti concuti poteſt, & in aliqua parte ſcindi, ſed ruere nequit. Ergo Verba Paſſiua Orationis vitæ tuæ, ſcito aliquando gratiora eſſe in auribus Dei & poſteritatis, quàm aliæ Orationis tuæ partes.

Patientia eſt filia Charitatis.

De

De Constructione Verbi Neutri.

NEutra sunt, quæ nec de activis, nec de passiuis participant. In Oratione vitæ nostræ, Verba neutra debent esse quam paucissima, & tolerantur in actionibus paruis, quæ nec de virtute nec de vitio participant. Sunt quædã priuatæ occupatiunculæ, quæ si sint paruæ, non diuturnæ, datur ipsis venia, sed vt substantialium verborum loco reponamus neutra, absit. quod fieret, si & Deo, & mundo simul seruire vellemus. Tũ enim Neutrum faceremus. Nemo enim potest duobus seruire Dominis. Quod intelligitur, de dominis sibi contrarijs. Vt si quis vellet seruire Deo, & iniquitati simul. Nam Dominis subalternis, vt seruire Deo vt Deo, & Creaturæ vt Creaturæ dispari cultu, permissum est. Vnum cor habet homo, vnus est Deus. Ergo ipsi soli amor & cor indiuisum debetur in gradu supremo. In gradu verò longè demisso debetur alter amor Patriæ, Conciui-

Neutralitas vituperatur.

Nullus duobus Dominis seruire potest.

 bus

bus & proximis. Homines Sancti & heroicâ sanctitate præditi, abdicant alias omnes curas, & amores sæculi & Carnis, vt sine impedimento possint amare Deum. Quorum autem conditio alia est, hi summum amorem Deo debent, & talem conditioni suæ & curæ rerum tenentur impendere, qualem illæ exigunt. In negotijs publicis inter collisiones Ciuium, difficile est neutralitatem seruare, imo periculosum. Nam de neutra parte mereberis, & potentioris fies præda. Potiùs ergo sequere partes Reipublicæ, & securitatis eius.

Iudex sit neuter.

Neutralitas est tum bona, cum fungeris Officio Iudicis, Officio Arbitri, cum tibi defertur titulus Communis amici. Tunc neuter sis, nec de passionibus eius participes, sis vtriusq; complanator, vtriusq; exhortator, vtriusq; bonus ad pacem amicus.

In causa Dei neutralitas illicita.

Cum res inter Deum & homines agitatur, iunge te causæ Dei, neuter hîc esse non potes, hoc vetat iustitia, hoc obligatio tua erga Deum. Vnde & Christus dicit: *Qui non est mecum, contra*

contra me est. Hîc zelus tuus eniteat, hîc meritum tuum augeas, hîc monstra te verbi Dei non fictum seruum, neç simulatum amicum. Hinc exulent neutra verba. Vnde nociuam saluti suæ illi profitentur neutralitatem qui cum hostibus Dei, qui cum inimicis Ecclesiæ, vel amicitijs, vel coniugijs sine spe conuersionis, vel fœderibus iunguntur. Qui disputationes prohibitas de Religione promouent, qui fidei argumenta in statera Iudicij humani librant, quasi authoritas reuelantis Dei non sit potior, quàm omnis humanus intellectus, qui quamdiu est in corpore & in carcere carnis huius, tamdiu pendet à fallacibus sensibus, tamdiu millenis erroribus obnoxius est. Velle ergo tantùm credere reuelanti Deo, quantùm Intellectui hoc vel illud dictanti, est Deo adimere, quæ ipsi debetur fides, & dare Intellectui, quæ ipsi non debetur. Hoc demum est, salutis nostræ fundamenta, fidei argumenta reddere fallibilia, vt sunt pleræq; aliæ Scientiæ rerum humanarum, & dese-

Neutralitas cum hostibus Dei & Ecclesiæ nociua.

rere illam firmam Columnam infalli-bilis veritatis, quæ est reuelatio Diuina. Adde quò ad Moralia. Quia verba neutra non parant amicos, nullius frugi hominem efficiunt in societate humana, in qua omnes homines tanquam membra debent esse alicui communi vsui destinata. Vnde si exempli gratiâ homo nasceretur cornutus, pars illa vocaretur monstrosa, quia in corpore humano nullus cornuum vsus. Essent illa cornua generis neutrius, abhorrerent vniuersi ab ijs, & inter maledictiones, vel punitiones recenserent, eam partem corporis neutram. Quæ gloria virorum illorum, qui pro fide & Ecclesia strenuè decertabant? ne neutri viderentur? Quale demeritum est illorum Imperatorum, qui ex erroribus hæreticorum, & veritate Catholica, monstrosum conflabant Syncretysmum, vt neutrius partis toti viderentur? Quantum decus immortalitatis in Catone, quòd semper pro legibus steterit? Quale dedecus, quamuis magni bello Pompeij, quod modò

Simili-tudo in-signis.

Desides in causa Dei per-stringun-tur.

pro

pro legibus, modo contra leges, modò cum populo, modò cum Senatu, modò cum Iuuenibus, modò cum Senioribus ſenſum ſuum & Actiones iunxerit, nihil ſtabile & tanto Nomine dignum, bellicam ſi exceperis felicitatem, in vita egerit? Verba Neutra conſtruuntur cum duobus Nominatiuis, quorum vnus ante, alter poſt. Et hi ſunt duo Domini, quorum vtriq; dum verbum tuum ſervire velit, neutrum fit. Tandem verba neutra ſequuntur & antecedunt accuſatiui caſus, antecedunt illi accuſatiui qui à Deo & legibus contra naturales ſunt prolati. Sequuntur ij, qui ſortem inferam neutralium accuſant, nec eſt qui excuſet. Habent & hoc neutra, vt impersonaliter proferantur, quia vix ſunt digna perſonalitate, quæ neutraliter aguntur, nec pro Deo, nec pro Patria, nec pro te, nec pro amicis. Ergo actiones neutræ quaſi abnegatæ à Perſonis, imperſonales vagantur.

Neutri homines vix digni perſonâ.

De

De Constructione Figurata Orationis Christianæ Grammaticæ.

VT Oratio verborum, ita Oratio factorum, tres virtutes habere debet. Prima est virtus vt sit emendata, secunda vt sit dilucida. Tertia vt sit ornata.

Oratio vitæ nostræ emendata est illa, quæ rectæ conscientiæ conformis.

Emendata vitæ nostræ oratio erit, si fuerit à mendis emundata, si fuerint actiones nostræ legibus conscientiæ, legibus honestatis adstrictæ, vt quæcunq; agimus, non fiant nisi ex dictamine conscientiæ, conformi legibus Dei: Nam Conscientia erronea, quæ fundatur in colore, prætextu aliquo specioso, non in lege Dei, omninò deponenda est per instructionem & meliorem informationem. Vnde si Grammaticus latinitatis totis viribus desudat, vt correcta & emendata verba auribus auditorum propinet, ne offendantur, quantò magis Grammaticus Christianus tenetur omni studio se applicare, vt verba factorum suorum non sonent,

nisi

nisi quòd rectum, quod iustum, quòd mundum est à peccato tam in foro Conscientiæ, quàm in foro fori, cum habeat Orationis suæ Auditorē ipsum Deum, cuius & aures Diuinæ & Maiestas offenduntur perperàm factis. Quidquid agimus in Republica, Oratio est, quam audiunt Conciues, auditura est & posteritas. Caue ergo, vt non loquaris nisi cum legibus Patriæ, nisi cum iusto & æquo, ne auditorum spectatorumq; tuorum offensæ aures & oculi à te alienentur. Quidquid Ciuibus tuis proponis, sit emendatum ratione honesti, sit emendatum à priuato Interesse, emendatum ab ambitu & cupiditatibus priuatis, sic placidè in oculos & in aures Oratio vitæ tuæ ac actionum tuarum intrabit, hâc ratione vitabis detestatos, vt inter latinos sic inter Christianos Solecismos & Barbarismos. Solecismum enim Christianum committis, si veritati detraxeris, aut addideris, si eam aliter quam est exhibueris. Fitq; iste solecismus per genera vocationum magistratuum, si his aut illis

Honestas in omnibus seruanda.

Detrahere veritati Solecismus est in Christiano.

aliquid

aliquid per iniuriam detraxeris, vel calumniam affinxeris. Per Casus, si pro datiuo ablatiuum commiseris, per Personas, si omnes indiscretè tractaueris; per modos, si supra modum aliquid volueris. Per genera verborum, si verbalibus iniungis amicos, pares, vel superiores lacessiueris.

Fama viri boni sit dilucida. Debet esse dilucida Oratio tua, vt clarè constet Oratio vitæ tuæ, vt clarè constet Ciuibus tuis de honestate tua, clarè constet Ecclesiæ de pietate. Neq; dixeris: sufficere tibi internam Conscientiam habere bonam, exteriora verò minus curare. Falleris toto cælo, debes societati humanæ, debes & obligationi Christianæ hanc sinceritatem, vt interna rectitudo tua videatur ab extra. Si enim Deus voluit fidem in corde esse ad iustitiam, in ore ad salutem: quantò magis vult, vt eadem opera, quæ sunt intus, prodeant extus? Vult professionem externam interni hominis, ita, vt etiamsi illum homo in corde profiteretur, coram hominibus autem negaret, tum Dei filius talem homi-

Non sufficit rectitudo interna, & ad extra pateat virtus.

hominem negaret coràm Patre suo. Nam si vna hypocrisis est, profiteri, pietatem extus, dùm impietas corde fouetur: sic altera hypocrysis est nõ profiteri pietatem internam, & velare eam ceu nubibus solem. Quæ tamen professio citra ostentationem cum modestia facienda, vt bona exempla producat. Quàm dilucidam vitæ suæ Orationem contexebat ille Romanus Ciuis, qui talem sibi domum ædificari cupiebat, vt diaphana & perlucida esset omnium oculis perspicienda, adeò erat suæ conscius rectitudinis, ne haberet, quod celaretur in tricliniis. Quàm verò sunt illi miseri, qui tum primùm, dum exeundum est ex domo, ex hypocausto & Triclinio, tum demum vt vestem, sic vultum alium induunt. Tum primò serenant faciem, verba componunt ad vrbanitatem, incessum formant ad grauitatem. Mox si videris eosdem domum reduces, ceu absolutâ scenâ in theatro deponunt omnia, quibus conspicui modò erant. Et tum demum patet, quàm impatientes, quàm feroces,

Comici sunt, qui non semper æquanimes.

ces,

ces, quàm intollerabiles sunt domi suæ, quàm inordinati in affectibus, nõ morati in actionibus, tum demum hominem quem in foro videbas, domi non reperies. Et si illum forensem cum domestico comparare volueris, per omnia non eundem comperies. Adeò ficta omnia, adeò composita, adeò duplicia omnia in eo sunt, ex quo patet, quàm non dilucida talium hominum sit vitæ oratio.

Moderatus ornatus commendatur. Ornatus vitæ tuæ Orationis, debet esse moderatus, ita ne luxum attingat, vel squallori inhæreat, quod fiet, si statui & conditioni tuæ debito cultu vsus fueris. In victu & amictu, vt sis tibi & fortunæ tuæ simillimus, ne vltra sphæram conditionis tuæ viuas, nam & aqua in aere grauitat, & lapis supra terram non subsistit, & expensæ extra centrum modestiæ & conditionis tuæ factæ, te pondere suo obruent; *Luxus origo multorũ crimi-nũ.* Luxu periére Nationes, Vrbes & familiæ. Luxu inuita paupertas prouocatur, virtuti inimica. Luxu dissipatæ fortunæ per scelera supplentur. Stetit in vigore suo Roma,

quamdiu Fabricios habuit Ciues, & ei similes, qui contempto Regis Epyrotarum auro, & diuitijs, se contentos declararunt, quòd argenteum pro sale habuerint vasculum, & semiargenteum Cochlear. Cæterùm testati sunt habere se immensos, & exhauriri nescios thesauros, multitudinem amicorum, quos studio, obsequio, consilio suo parauerant. Et horum omnium egens Pyrus, quamuis auro dives esset. Postquam verò Asiatico luxu diffluentes in vrbem venère Luculli, & fæcunda virorum paupertas fugata, auri sacra fames incensa, inventus, qui vendidit vrbem per omnia venalem. Cavebis ergo in Ornatu Orationis vitæ tuæ luxum vt pestem. Ornatum tamen virtutum quàm maximum cures, nam hic luxum non inducit, venerationem in terris, & præmia parat in cælis. Noli ergo distingvi à cæteris hominibus per vitia, luxus, sed per copiam virtutum Christianarum, Civilium, & moralium. Sic ornatus ibis per ora hominum, & gloriosum relinques posteritati no-

Ornatꝰ virtutū curandus.

men. Quæ gloria illorum est, qui opes suas decoxerunt per turbas parasitorum, multiplicationem morborum, numero cocorum causauerunt. Tot ingenia decora crapulâ merserunt, tot mentes bonas ingluvie suffocarunt, tot Bacchos & comites eorum inseparabiles Veneres excitarunt, vulneribus, rixis, seditionibus, domos, plateas, templa, Provincias impleverunt vt lucus lucet, sic luxus lucem & claritudinem parat. Disce magni Philosophi sensum Senecæ, qui dicit: non æstimares hominem, qui commodatis vestibus tectus, famulitio itidem commodato circumdatus pomposè incederet, non suisq; splendesceret ornamentis. Quare ergo vis æstimari ab ijs, quæ tibi fortuna commodavit? parum enim interest, à quo aliquid mutuaveris, sive ab homine, sive a fortuna. Quæ gloria æstimari ex ijs, quæ circa te sunt; cum intra te nihil sit æstimandum. Ergo vt gemma non æstimatur ex auro, cui est innexa, sed ex propria virtute; ita tu frustra contendis æstimari

Nulla gloria ex ijs quæ extra nos sunt.

mari

mari ex numero famulorum, ex multitudine equorum, si nihil in te tuum est, quod æstimationem tuam veram parat; aliena sunt, quæ circa te sunt, casibus obnoxia, Fortunæ sunt, nõ tua.

Barbarismum in actionibus committes, si mores tui plus nimio austeri, si sermo tuus durus, lingua tua inhumana, si aspectus tui truces, si animus tuus furibundus, si commoratio tua bonorum virorum vitabit consortium. Omnis hæc asperitas, intractabilitas, cordis cruditas, barbarismi Christiani & Politici vocantur. Vitari ergo debent in Oratione vitæ tuæ, corrigenda morum tuorum acrimonia, svavitate Spiritûs Sancti, mansvetudine Christi & Apostolorum, patientiâ Pauli. Idem faciendum in vita Civili, si recogitaveris feritatem morum feris relinquendam, & homini in societate hominum viventi competere vrbanitatem, quam habebis, si semel in animum induxeris, debere te ita vivere, vt vita tua sit grata Concivibus; quod fiet si opibus tuis immodicè eas coacervando, &

Nimia austeritas Barbarismus est in homine.

Donis Dei non abutendum.

tenaciter conſervando, abuſus non fueris, ſed vſum illorum ad benefaciendum Reipublicæ, ad ſuccurendum amicis, ad ſublevandum inopiam alienam converteris. Si ſapientia & doctrina tua te non inflaverit, vt alios contemnas; ſed potiùs ita te inſtruxerit, vt hoc donum Dei, quod poſſides, convertas ad gloriam Dei, ad publicam & privatam vtilitatem, ſi cuilibet ad te acceſſus facilis, ſi colloquium tecum amicabile & officioſum, ſi mores civili magnetiſmo imbuti fuerint, vt omnes in venerationem, in amicitiam & admirationem trahas.

De Dimenſione Syllabarum.

VT Grammatica Latinitatis, ſic Literatura Chriſtianopolitica à literis incipiunt, & in literis quoq; deſinunt. Tractavimus iam figuras, ſonos Literarum primò in Syllabas coeuntes, tandem & in dictiones. Literæ nobis in Grammatica Chriſtiano,

no-Politica, vt ex Sacra Scriptura probavimus, fuêre homines, à quibus verba actionum promanarunt. Nunc restat de dimensione earundem Literarum in verbis existentium agere. Dimensionem autem istam fieri non per lineas aut distantias, aut alias Mensuras, sed per tempora, cum enim homines sumus in tempore, & temporibus nati, æque vt literæ Grammaticales. Tempus autem, aliud breve est, aliud longum: Necessùm est scire, cui quale competet tempus. In tempore enim, quo vivimus, quo operamur æternitatem, nobis seu malum seu bonum paramus. In tempore sumus viatores, id est homines tendentes ad æternitatem; semper sumus in bivio, semper item vnum ad dextram, aliud ad sinistram panditur, semper erroribus obnoxij. Ergo tempus peregrinationis nostræ bene perpendamus, vias longas & vias breves consideremus, ne aberremus.

Homo per tempus mẽsuratur.

Notandum est, vt in literatura latinitatis dimensioni subijciuntur primo vocales, ita vt qualem illæ di-

Docto-res & Prædicatores Verbi Dei sunt literæ vocales in Ecclesia.

mensionem ferant, talem tempus habent consonantes sive longum sive breve. Ergo & temporalia nostra, debent pendere in Ecclesia Dei à Vocalibus literis, à Doctoribus Ecclesiasticis, à Prædicatoribus Verbi Dei, Gerarchicis Ecclesiæ Potestatibus, quæ sunt Vocales nostræ in Ecclesia; Reliqui homines Consonantes. Ergo discamus ab his vocalibus dimensionis temporalis Magistris, quod omne tempus etiam longissimum, nulli anni ante Deum sunt tam breves, tanquam dies vnus intuitu æternitatis eius. Omne tempus est tam breve in comparatione æternitatis, vt tanquam nihilum sit. Ergo & temporalia respectu æternorum idem sunt, quod tempus respectu æternitatis. Ergo cum habemus vnam partem in nobis æternam, quæ est anima & virtus; aliæ pars temporalis, quæ est corpus & vitium; debemus æstimare tantâ æstimatione animam & virtutem, quantam meretur æternitas comparata ad tempus. Ergo digniori serviendum, excellentiori omnia

Æternitatis meditatio.

litan-

litanda, & hoc ipsum tam breve tempus vitæ nostræ. Vides æternitatem, quod sit duratio sine fine, adhânc æternitatem natam animam tuam necessùm est, vt fateare, cum nata est, sine contrario, à quo destrui posset, cum non sit composita, dissolvi nequit. Cum sit Spiritus sine alterationibus, tandem & destructioni minimè est obnoxiat. Respice virtutem, pulcherrimum animæ decus & ornamentum, coronam & gloriam eius. Hanc nemo est, qui impugnet agnitam, vel destruere præsumat. Cum vitium ipsi oppositum nihil est, phantasma potiùs, quàm res, tegi potest, extingvi non valet: vt papiliones non nocent flammæ, nisi sibi, ad quã, aduruntur. Sic vitium est adversus virtutem, leve, tenue, combustibile. Vapor est mox transiens, flatus est mox disparens. Respice e contra temporalẽ corporis tui vitam, quam modica est, nam si respexeris rationalem hæc pendet ab incarceratione animæ, intra carcerem carnis huius, hæc incarcerata, quantùm ex se cu-

Virtutis encomia.

Vitia non prævalent adversus virtutem.

 pit

pit ſemper diſſolui, & eſſe cum Spiritibus æternis, invita in corpore tuo hoſpitatur, ergo vita ab invita anima, quâm brevis ſit, vides quod hæc eadem anima habens mille vias mortis, quas tot caſus aperiunt, facile hoſpitio ſuo dicit vale. Si vitam animalem reſpexeris, hæc pendet à ſubtiliſſimo ſanguine, & leviſſima aura, quàm unus peſtifer afflatus diſſipare valet, circa glandulam cerebri volitantem; unus corrupti áëris introitus ſuffocare poteſt, tenuem illum vaporem, quo animalis ducitur vitæ adminiculo. Carbones candentes, ſi in cautè dormiens, admoveris caput, ſuffitu ſuo vitam tollere poſſunt. Paries dealbatus, nèc bene exſiccatus id Ioviniano fecit Imperatori. Vitam ſi reſpexeris vegetativam, cuius inſtrumenta ſunt animales ſpiritus, quàm continuò ab humido & frigido oppugnantur. Recenſe caſus, recenſe morbos, recenſe ictus, non ſolùm à ferro, ſed à cibo & potu, tandem & ab ipſo àère, his omnibus obnoxio corpori inflictos, & videbis, quàm

Vitæ animalis debilitas.

Levis cauſa vitam tollere poteſt.

brevis

brevis inter tot mortes vita temporalis. Hæc de vita temporali, in quantum opponitur vitæ æternæ animæ. Quid dicendum de duratione vitij, inquantum opponitur duraturæ in æternum virtuti. Vitium, cum sit carentia rectitudinis debitæ in actione, privatio est, ergo nihil est, ergo nec durare potest, cum sit tam turpe, vt authores ipsi ad aspectum eius erubescant; & suum opus detestentur. Quanta duratio potest esse, tam invisæ rei, invisæ Deo, rectis hominibus, invisæ ipsis, qui fecerunt illud; contra vitium armatur cælum; armantur leges, armatur infernus, quomodò ergo subsistet, inter impetitores? Ergo vides quàm solida est animæ vita, & virtutis duratio: quàm fragilis corporis vita, & vitij comparatio. Sis ergo prudens rerum æstimator, scias cui vitæ tuæ tempora impendas. Cave ne æternitatem pro tempore amittas; ne duratura bona pro caducis & perituris lucreris. Vide quàm momentaneum est, quod delectat, quàm æternum quod cru-

Vitium est privatio rectitudinis debitæ.

Vindicta flagitiosorum.

Æterna temporalibus anteponenda.

ciat. Perdidiſſe enim animam æter-nam & virtutem illi coævam, & in commutationem mox diſparentium rerum dare, quid aliud eſt, niſi æter-num ſibi parare pœnitere? Et hæc eſt pœna damni, pœna ſubſtantialis in-ferni, omnes pœnas ſenſus exuperans.

à Principibus pendet bonus vel malus ſtatus Regnorum

Si ad vocales Politicas redieri-mus, ab his quoq; pendent tempora conſonantium, quæ mala vel bona faciunt, bonæ vel malæ vocales, Ma-giſtratus & Legislatores. Si enim Rex Sapiens eſt, ut ſol intuitu ſuo diſ-ſipat malorum temporum nubes, & facit ſerenum tempus Civibus, & lon-gum proſperitatis curſum. Si malus eſt, abbreviat multa tempora, prolon-gat calamitates populi ſui. Vnde di-cimus Saturni, & Iani, tempora aurea, Auguſti, Traiani, pacifica tempora, Conſtantini, Theodoſij, Caroli Ma-gni fortia tempora, & hæ ſunt Politi-cis vocales, quæ faciunt longum vel breve conſonantium tempus. Quam-vis certùm eſt, quòd etiam conſonan-tium ſubditorum ad longum tempus requiratur cooperatio, niſi enim duæ

vel

vel tres consonantes firmaverint vocalem non erit positio firma longi temporis : tota vis felicitatis vocalis est in obedientia Consonantium.

SCHOLION.

HVius loci est de æterna duratione, id est de immortalitate animæ agere.

Licentiosi homines millenis prætextibus & coloribus eludentes rigores legum civilium, cum non valeant remorsus conscientiæ declinare, & tristem sibi post tot scelera futuræ vitæ memoriam, statuerunt eandem eradicare sublatâ immortalitate animæ, quæ immortalitas, cum tolli non possit, nisi tollatur spiritualitas, statuerunt animam esse sanguinem subtilem, quæ vbi semel evaporaverit per aurã dissipatur & interit, ita vt eandem esse vitam hominum quam brutorum censeant. Hunc tam enormem errorem & malitiam, Æterna veritas confundit Christus Dominus in sacro suo Evangelio, cum dicit : Abraham vidit diem meum & gavisus est. *Ergo Abraham post mortem tot ante Christum sæculis mortuus, non est totus mortuus cum videt Christum & lætatur in eius adventu. Item repræsentat Christus Laza-*

Cur quidam negent immortalitatẽ animæ rationes.

Immortalitas animæ probatur ex Sacris literis.

rum in sinu Abrahæ, & divitem in inferno sitientem. Ergo nec Lazarus, nec dives toti mortui sunt, unus post mortem gaudet, alter sitit, & patitur imò vult reverti & monere fratres suos de vita altera. Dicit item Christus, nolite timere eos, qui possunt perdere corpus, sed timete eos, qui habent potestatem mittendi animas vestras in gehennam ignis. Ergo veritas æterna demonstrat post perditionem corporis superes vivere animam, & quòd illa possit mitti in gehennam ignis. Tandem & illa verba de die iudicij: Ibunt boni in vitam æternam, & mali in ignem æternum. Est ergo veritas Iuris Divini & præcipuus Articulorum fidei ex Symbolo Apostolico, quòd credamus vitam animæ æternam. Hoc septemdecem fere sæcula in Ecclesia Christi crediderunt, hoc omnes fideles professi sunt constantissimè, hoc sanguine suo firmarunt milliones Martyrum, hoc Christi resurrectio à mortuis evicit.

Immortalitas animæ septemdecim sæculis in Eccl. credita.

Nunc autem veniamus ad Philosophiam experientialem, & quamvis authoritas revelantis Dei tam per filium suum, quàm per Apostolos & successores eius, quàm per Ecclesiam universalem non egeat succur-

Experientijs probatur immor-

succursu naturalium rationum, attamen, ut quod dogma Sacrosancta damnavit Theologia, eiusdem vanitatem commonstret & Philosophia necessum est. *talem esse animam.*

imò. Fateatur, cum diffiteri nequeat licentiosus homo, quòd impossibile est concipere, quomodò res purè corporea & purè materialis habeat facultatem in se & ex se cognoscendi aliquid, cum ipsi homines licentiosi, vel ideò scelera sua peragant in sylvis, in campis, in montibus, in praesentia brutorum, avium, piscium, quod naturalissimè credant ista omnia esse pure materialia non habere cognitionem, per consequens coram illis omnia scelera tanquam coram non intelligentibus peragi posse. E contra verò abscondunt se coram hominibus etiam fidissimis, etiam servis, eò quòd negare non possunt in homine dari partem, quae scit cognoscere. Ergo haec pars debet esse non corporea, neq; quid materiale, ergo spirituale.

Res purè corporea nõ habet in se facultatem cognoscendi aliquid.

2dò. Et hoc negare non potest licentiosus homo, quod est aliquid in eo, quod multoties reprobat actiones eius praesertim corporeas, reprobat ebrietates, lascivias &c. Hoc autem necessum est, ut non sit idem

Conscientiae remorsus ostendit immortalitatẽ animae.

cum corpore, nam corpus has illecebras probat. Ergo illud quod vocamus conscientiam, quæ reprobat actus illos corporeos, debet esse incorporea, ergo spiritualis; cum multâ re materiali vis illa conscientiæ non potest mitigari, neq; musicâ, neq; ipso terrore mortis, cum fuerint, qui seipsos accusarunt, vt potius malent expiare morte delictum, quàm tormentum Conscientiæ diutiùs pati.

Est in homine aliquid incorporeum, quod motu non lassatur.

3tiò. Negare & hoc non possunt licentiosi homines, quòd detur in corpore humano aliquid non corporeum, quod non lassatur motu, quod non infirmatur cum corpore, quod extra febres est quoad patibilitatem: videmus enim senes decrepitos corpore, vigorem retinere mentis. Et coram Actis Publicis profitemur: Quamvis corpore æger, mente tamen sanus. Ergo febris cum sit materialis, vel infirmitas cum sit corporea, non corrupit hoc, quod est superioris naturæ, quàm est corporea.

Imperiũ cui subjiciantur aliæ

4tò. Experimur esse in nostro corpore aliquod, quod imperat toti corpori in tantùm, vt in momento corpus in hanc & illam moveatur partem, pedes, manus circumagantur, totiùs corporis situs momen-

to immutetur ad imperium cuiusdam voluntatis, quæ liberrima est. E contra cum videmus aurem audire; oculum videre, stomachum cibum vel potum poscere, hoc provenire à Causis ab extra determinantibus, impellentibus, mereq́ naturales motus dicimus & appellamus necessarios & non liberos. Ergo res illa tam absolutè corpori imperans, debet esse eminentioris dignitatis quàm corpus, Ergo est spiritualis. potentiæ probat immortalem esse animam.

5tò. Experimur esse aliquid in nobis, quod desideria cordis nostri & propensiones frænare valet, suspendereq́ & sistere. E contra verò videmus animalia, quæ eò feruntur, quò desideria & Concupiscentiæ ducunt. In homine verò esse aliquid, quod cordi amanti dicere potest, suspende amorem averte amorem, cessa vel hoc vel illud, desiderare. Et quamvis post peccatum Parentum nostrorum non invenit homo tam promptum obsequium desideriorum suorum: certum tamen est esse in homine vim illam imperativam, cohibitiuam, quæ in animalibus merè materialibus non reperitur. Ergo hic imperativus Character denotat rem esse in homine supra corpoream, ergo spiritualem. Post peccatũ originale promptè obedit caro spiritui.

6tò. Naturaliter homo etiam sine Instructione, sine educatione, quamvis rudissimus, sentit in se instinctum æternitatis & in tantùm, vt quàm plurimi in profunda cæterarum literarum ignorantia viventes, vltro se vita præsenti exuerunt, flammis se iniecerunt, & vndis submerserunt, vt ad aliam transirent vitam. Hoc instinctu nemo se credit integrum moriturum. Hoc naturali instinctu lustrationes, exequiæ, honores mortuis hominibus facti, imò & divini. Vnde Idololatria orta. Cum ergò Divus Augustinus dicit. Quod etiam in brutis instinctus naturalis ideò non fallitur, quia est à Natura naturante Deo; vt cum Cervus ad herbam dictannam currit pro medela, cum formica provisionem alimentorum convehat, cum certo tempore aves nidificent, avolent, & revolent. Ergo & instinctus homini dati ad immortalitatem, ad habendam æternitatem non erunt fallaces sed veri, quia ab authore naturæ immissi. Et si iuxta Augustinum instinctus dati bestijs non possunt convinci erroris; quomodò instinctus naturales dati homini deviabunt in errorem? S. Chrisostomus dicit: Naturalem idæam hominibus insitam de vita æterna.

Instinctus æternitatis qui sentitur ab homine animã esse immortalẽ convincit.

æterna. Ergo hæc Idæa debet esse insita non corpori, sed menti, non carni sed Spiritui. Sic nemo erat Ægyptiorum, nemo Græcorum, nemo Romanorum, imò nec Barbarorum, qui diceret: Se totum mori, quamvis hi aliter futuram vitam alijs explicarunt, omnes tamen in eo conveniebant, quod esset æterna.

Gentiles immortalitatē animæ agnouerunt.

His ergo positis, quæ probant & convincunt animam in nobis esse Spiritualem, idest, non esse id, quod corpus, esse longè diversam à Corpore, esse eminentiorem corpore, sequitur naturaliter, quòd sit & immortalis. Cum enim Spiritualis est, non habet contrarium destructivum sui. Non est composita, ergo dissolvi non potest. Nec obstat quòd magis sciamas, quid non sit anima, quàm quid omnino sit. Hoc enim & de Deo ipso fateri necessùm est. Nam magis scimus, quid non sit, quàm quid sit, non tamen sequitur, quòd omnino non sit. Et ideò profitemur, quòd illum tantùm sub ænigmate & tanquàm in speculo cernimus. Id ipsum de anima omnibusq; spiritualibus substantijs profitemur, quia hæc sunt omnia relicta futuræ vitæ. Ideoq; & Gentiles non bene inter substantiam Spiritualem increa-

tam, & creatam factâ distinctione, animam animam appellabant Deum humano in corpore hospitem, agnoscebant Genios, Lemures, Penates, & sexcentos alios Spiritus, quorum effectus negare non poterant. Hos autem veritas Christiana Angelis custodibus hominum, Angelis Rectoribus, Regnorum assistricibus, Intelligentijs & motricibus, tum & pijs animabus rectiùs adscribit.

De tempore.

APud latinos Grammaticos tempus longum, nihil aliud est, quàm spatium illud, quô diu pronunciatur Syllaba; Breve autem, quo breviùs pronuntiatur eadem. In Grammatica Christianomorali longâ & indesinenti observatione excultæ leges, exculti Reges, exculta virtus & honestas, excultæ belli pacisq; artes, faciunt longa & brevia tempora Reipublicæ. Et si hæc corripueris, bonum tempus Reipublicæ abbreviabis. In Morali Grammatica curandum est, vt vitæ nostræ vocales sint in malo breves, in bono longæ. Si septies in die cadit iustus, ob fragilitatis humanæ

A Regibus, Legibus, honestate, & artibus belli ac pacis longum vel breve tempus dependet Reipub.

næ imbecillitatem, ergo quamdiu vivimus, rarissimè sine vitijs sumus, quæ tamen necesum est, vt sint brevia, in quæ si cecideris, corripe te, corripe vitium tuum, ne sis in eo longus, sed brevis. In Passionibus animi tui, si illas omnino extirpare non valeas, sis quam brevissimus, citò compone motus tuos, febres enim corporis sunt, & animi exsuperantis passiones. Cave ne ijs fræna laxaveris, consument vitæ tuæ medullas, & ceu malignâ febre depascêris. Vita occasiones, vt contagia pestifera, quæ tuas excitant passiones. Miseram imaginem hominis passionati habe menti tuæ impressam; vt aversêris fontem miseriarum, indomitos animi motus. Repræsenta tibi larvam potiùs quàm vultum iracundi hominis, quomodo vt ferus aper spumat, vt furens leo rugit, & sæva tygris dilaniat famam, honorem alienum. Considera, quàm malè sapiens est ille, qui exardescit in vindictam pro qualibet offensa, cum seipsum primò feriat plusquam febrili iræ actore, *Passionatus homo describitur.*

 quàm

quàm eum qui se offendit, quomodò à seipso commovetur, stridet, pallescit, detorquet oculos, contrahit frontem, & concepto exæstuat igne. Quàm devium à recto iudicium in seipso punire alienum delictum, sui ipsius esse carnificem, sibi pericula paralisis, appoplexiæ, & alia, quæ vehementes sequuntur motus, procurarare: Cum interim ille, qui te offendit, vel tuam ridet impatientiam, vel de tua calamitate gaudet, vel calamitati tuæ condolet. Offendit te forte præter intentionem, ergo non peccavit. Offendit ex ignorantia, ergo nō meretur iram; offendit ex malitia, ergo vel sapienter dissimulanda est, vel si malitia reprimenda, fac vt ille sentiat se peccasse: Te verò cur ita cædis, ipse peccavit, & tu à teipso puniris? O quàm iniuriosum decretum, quod cæca in te pronuntiavit passio! Ergo corripe eam, sit saltem brevis. Tanget te amoris altera contagio, considera amantes & amentes, qui re & nomine prope idem sunt, considera inquietos, impatientes, omnia timentes,

Motiva ignoscendi.

mentes, omnia ſuſpectantes, ſuſpirantes, pallidos, non ſuo ſed alieno vivere nutu, & multoties ceu magnum Elephantem ab Æthiope, ſic virum gravem à fæmina vel puella duci, circumagi, ſpectante Orbe & ridente: videbis hiſtorica in ſerie Cæſares & Antonios à Cleopatra, in tot diſcrimina per infamias & dedecora deduci, tandemq; horum alteri exitio extitiſſe. Cura vt & hæc paſſio ſit brevis, vita occaſiones, tunc conſequentias: Et in priori paſſione Herculem furentem cum ſpectris ſudantem tibi repræſenta, in hâc robore ſuo deſtitutum Samſonem, Salomonem ſapientiâ orbatum, Adamum è paradiſo eiectum. Sic de cæteris paſſionibus ceu de torturis animi & corporis cogita, & tempeſtivè cura, non mancipatum teneant, ſi vitare nequeas, ne aliquando corripiant. In his ergo omnibus, debes quærere brevitatem ſoni vocalis tuæ. Sanitatis verò tuæ vocales cures, vt ſint longæ, ſic enim habebis maius ſpatium de Deo, de Republica, & de amicis merendi, ſi vixeris diutius.

Paſſionibus citò occurrendum.

Quomodò vita prolonganda. tiùs. Longa tibi erit vita, si corpus tuum nutrire non verò saginare studueris. Constat ex medicina Statica, quadraginta vncias substantiæ nostræ corporeæ, intra viginti quatuor horas effluere per continuas evaporationes, calore enim intus attenuante corporeas partes, attenuatæ evolant per poros, quibus corpus nostrum plenum est & ab intra & ab extra. Vnde necessùm est, alimentorum novâ subministratione reficere amissa. Et hæc ratio est cur non crescamus continuò, & si nutriamur incessanter. In infantia enim propter humidi abundantiam calor valet tam potenter dissipare nimiâ prævalente crassitudine viscosi humoris. Vnde quidquid manducamus in infantia & puerili ætate, cedit in incrementum. Si verò *Ebrietatis mala.* potu callidiori te ingurgitas, dubium non est, calorem quem bibis, iunctum cum calore interno, ita fortem evadere, vt citiùs dissipet substantiam tuam æstu febrili, vel levitate suâ abreptus omnino evolet. Sic videmus magnos potatores in tantum calore

desi-

deficere naturali, vt nisi novum & novum affundant, nec corpore nec ingenio valent. Ieiuni dum sunt, depressa cervice incedunt, defectu erigentis caloris; nec loqui nec discurrere, nec quidquam agere valent propter penuriam Spirituum euolatorũ. Ingluvies idem facit, quod & ebrietas, nimietas enim ciborum opprimit calorem, quem calidi potus ita erigunt, ut evolent. Hinc sangvis male coctus, Spirituum defectus, qui ex optimo sangvine generari debent: unde optimè argumentatur Seneca dicens: *Miraris morbos, numera cocos.* Orientem & occidentem, seu ut clarius dicam ea, quæ in Oriente & Occidente nascuntur, quæ diversa Orbis producunt clymata, vno condimus Stomacho. Hinc morborum genera, dum tot difformitates pugnant inter se, nec digeruntur. Materiam morbificam per mille in varia conquirimus. Hinc morbi incurabiles, quia alieni clymatis sine remedio sunt. Scimus enim quosdam Americano infectos morbo eousq; redire debuisse *Gula quã nociva.*

pro curatione. Adcò conducit sanitati multis farciri, nec externis, sed proprijs nutriri cibis. Ideo Iumenta & equi maiore sanitate nos superant, quamvis tot laboribus pressi. Ideò Romanus miles Orbem subegit, loricam, ensem, Galeam ferream ad instar membrorum, quæ hominem non gravant, gestare solitus, dum quindecem dierum commeatu, vasisq; vtensilibus, pallis ligneis pro exstruendo vallo onerabatur, quo deposito onere ex itinere ad castra munienda fossasq; applicabatur in tantùm, ut equi bovisq; robur homo tum temporis æquaret, eò quòd cocto tritico vescetur is, qui bene pugnabat; quæ verò legio in aliquo deliquit, ea hordeo pascebatur in pænam. Sed cum venêre deploranda Plinij tempora, vbi à tritico vel hordeo cocto militarem palatum ad mensas oppiparas, ad ciborum diversitatem, ab aquæ potu ad phalernum alliciebant, eò ventum est debilitatis, vt serica vestis iam gravis esset illi, qui olim ferream loricam gestans in numero ponderum non habuit.

Delect9 victûs delicati nocivus & privatis & publicis.

buit. Eò, ventum deliciarum, vt magnus vir ſub Triumviratu Octavij proſcriptus in cavernis latitans odore ungventorum, quærentibus proderetur miſero ſpectaculo, quòd inter diſcrimina vitæ balſamicis odoribus carere non potuerit Romanus Alumnus. Longam vitam facient labores & corporis exercitia, his enim mirum in modum roborantur nervi, ſtomachus alleviatur, evaporatio ritè procedit, quam ſedentaria vita impedit, vnde obſtructiones, effluviorum retentio, ex retentione putredo, ex putredine febres, & mille alia Symphtomata. O ſi ſcirent homines, quàm longam vitam parat labor, titulus laborioſi non daretur nunc ſolis ex agreſti turba hominibus, quaſi otioſos deceret eſſe Nobiles. Aëris quoq; ratio habenda, ne plùs nimiò ſit humidus, ne vaporibus paludoſis, aut maleſanis exhalationibus de ventis ſeptemtrionalibus tua exponatur manſio, cum enim pari Spirituum Animalium magis in àëre, quàm ex ſangvine conſtet, cum corporis noſtri textura con-

Labores prolongant vitam.

àëris ratio habenda.

tinuis scateat poris, quævis aëris constitutio permeet & subintret corpus nostrum; dubium non est aërem ita sub intrantem relinquere in corporibus nostris advectam secum pravitatem. Hæc de conseruanda sanitate & prolonganda vita nostra obiter dicta sunt. Cæterum ille solus, qui aufert Spiritus Principum, longam tribuit vitam, & eam solus conservat. Nam si considerare velimus Casus vitæ humanæ, periculum ab eo quod comedis, bibis; periculum ab obstructionibus musculorum & nervorum, periculum ab inundatione cerebri, periculum à Sistole & Diastole cordis, periculum à coagulatione sangvinis, pericula ab aëre, à vento, à fætore, à morsu bestiarum, ab indigestionibus. Quis dubitat mille vias mortis in momenta pandi, nisi ille conservet, qui vitæ mortisq; est dominus. Hinc mirari satis non valemus, quomodò timemus de amicis, de filijs, de fratribus ad bella Sacra proficiscentibus, quasi tantùm esset homini periculum à sagitta volante in die, à glo-

à Deo longa vita.

Pericula vitæ enumerantur.

bo

bo & ferro : & non reflectimur tot mortes ipsis in visceribus latere nostris propter continuam contrariorū pugnam in tantum, ut antequam lucem videamus, iam ab ipso intra viscera materna vitæ exordio mori incipimus, quia dissolvi.

Post vitam longam, cures memoriam tuam longam, non videat Deus in te brevem beneficiorum suorum memoriam, eiusdem sit cum vita tua longitudinis, diu memor sis beneficiorum Patriæ, beneficiorum ab homine quiscunq; ille fuerit, acceptorum. Lex gratitudinis tam est universalis per Orbem, ut cum pluri mæ Nationes de alijs virtutibus disputent, quæ nam sint? de gratitudine nemo disputat, quam Deo Patriæ, & hominibus debemus. Quid enim scelestius homine ingrato viperæ simillimo, quæ nescit videre lucem, nisi eam matri suæ eripuerit. Ingratus homo simillimus cænosis, & palustribus stagnis, qui munifico solis illustrati radio, tetros ceu nubes emittunt vapores contra beneficum Sy-

Memoria beneficiorum Dei sit longa.

Ingratitudo erga Patria perstringitur.

dus. Ingratitudo beneficia ſuffocans, tollit beneficiendi propenſiones, tam magnas meretur pænas, quàm grandia fuere beneficia. Hâc repletur infernus, hâc infamantur homines, hanc deteſtantur viri recti, quod & tu facies. Ingratam terram quis eſt qui colat? relinquitur deſerta & temnitur. Cures ergo memoriam beneficiorum eſſe tam longam, quamdiu vita supereſt; Vt enim fæcundæ terræ nova ſemper tribuuntur ſemina, ſic & grato homini beneficia. Provocat ſecundum beneficium qui gratus accepit primum. Arbori verò infructuoſæ, quæ impenſis non reſpondet beneficijs Sacri Evangelij decreto hoc reſtat, ut exſcindatur & in ignem mittatur. Gratitudinis erga Deum exempla tot ſunt, quot amplas fundationes receníes, quot Divorum Altaria ſplendent. Maiorum grata pietas in Deum perſvaſit, ut poſt relatas victorias, poſt oſtenta cælitùs beneficia, Reges magni, grati in Deum animi ponerent monumenta, liberta te donarent res Eccleſiæ; quorum

Grati tudinis erga Deum exempla.

exem-

exemplo & Patres noſtri id ipſum fecêre. Dabat DEVS inenarrabilia beneficia reddentibus gratitudinem. Modò verò poſtquàm ingrati eſſe cæpimus erga eius Maieſtatem, res Eccleſiæ ſat acciſas per hoſtes publicos, Cives Catholici deprimimus & opprimimus, Templa Dei in ruderibus iacentia præterimus, & palatia ſuperba erigimus; currus noſtri & eſſeda auro nitent, & altera ſquallent: Purpurâ auroq; tegimur, & Sacerdotes Dei laceri tremenda peragunt miſteria: Decimas inviti damus pauci, plurimi negamus, vel eaſdem contributionibus oneramus, quaſi poſſet cadere ſub diſpoſitionem noſtram quod Deus uſibus ſuis ſervatum voluit: Ideò negantur quoq; nobis cælitus ea beneficia, quæ gratis à Deo concedebantur maioribus noſtris; arctamus res Eccleſiæ, ſed & res noſtras arctat Deus. Eripimus per ſummum nefas diem Dominicum Domino, quem compotationibus, laboribus ruſticorum, luxu & otio profanamus, & ecce iuſtus Iudex dies Noſtros profana-

Ingratis Deus aufert beneficia.

Res Dei coarctamus & noſtras Deus arctat.

sanari ab hoste, & calamitatibus per-
mittit, ingratitudinem nostram se-
verè castigat.

Quantùm ad gratitudinem Civi-
lem erga Patriam quid dicemus? si
viderimus Romanos dulce & decorū
existentes pro Patria mori, si videri-
mus ter geminos fratres pro eiusdem
libertate cum hostibus digladiari, si
familiam Fabiorum trecenta sangvi-
nis sui unâ die numerare funera pro
Patria, si Scevolam foco ardenti ma-
num imponentem, quòd in hoste fe-
rendo aberraverit, si Codytem obie-
ctu corporis sui detinere hostem, si
Curtium, si Decios pro Patria morti
devotos recensuerimus, si Ottonem
mortem sibi inferentem ultro, ne eius
gratiâ tantus Civium funderetur san-
gvis. Quid diceremus ad hæc tam e-
videntia insignis gratitudinis in Pa-
triam documenta? quàm multoties
Patriam sine consilio deserimus, dum
Comitia & Comiriola per dissensio-
nes & ambitus abrumpimus, cum Pa-
triæ non iam sangvinem & vitam,
sed portionem substantiæ in contri-
buendo

Romanorum erga Patriam animus gratus.

Ingrati erga Patriam perstringuntur.

buendo negamus. Facultates nostras studiò occultamus, ut minori subsidio communem Matrem fulciamus. In Patria sumus geniti, in Patria educati, in Patria honores, in Patria vitam agimus, quàm magna ergo ingratitudo, si nec exemplis gratitudinis, nec ratione movemur.

PRÆCEPTUM PRIMUM
De Vocali ante Vocalem.

LAtini aliâ subeunte Vocali primam abbreviant. Grammatica Nostra Christiana eam sequitur legem vocalemq; suam, quam diximus personam in Principatu, in Magistratu positam, abbreviat in conspectu supremæ Vocalis, quæ est Deus. Tunc enim omnis magnitudo terrestris, & quidquid Orbis adorat, vmbra fit ante eius, qui lucem inaccessibilem habitat. Tum scimus brevem esse humanam Vocalem, breves esse favores eius, breves gratias, breves fortunas ab ea proficiscentes, ubi illam vocalem respexerimus, à qua pendet

Magnitudo terrestris ante Deum exigua.

æterni-

æternitas, cuius duratio ſempiterna, cuius felicitas duratura, cuius imperium ſine fine. Tum demùm diſcimus, quàm brevem his vocalibus obſequij ſonum debemus, quæ toties corripiuntur, hâc ſuperveniente vocali, quæ eſt Alpha & Omega.

Magiſtratus vnus altero ſuperior.

In Grammatica Politica, vbi vocales ſunt Magiſtratus, teneas neceſſùm eſt hanc quoq; legem, ut credas Magiſtratus ſubalternatos, vnum alteri præponi, unum breviorem eſſe ad comparationem alterius, hanc dignitatem eſſe minorem illâ, & hoc fit boni regiminis cauſâ, quod gentilis agnovit Philoſophus, vel hoc ſolo agnoſcens vnum Deum ſupra cæteros: Ne ſi plures eſſent æquali potentiâ, non regerent ſed diſtraherent Orbem; ſic in corpore humano ignobiles partes habent nobiles ſupra ſe, ſupra nobiles ſunt nobiliores, quæ vocantur naturales, ſupra has ſunt nobiliſſimæ, quæ ſunt vitales. Tandem inter has quoq; eſt ſuprema penes cerebrum omnis motûs ſcaturigo & principium: Niſi enim multa fiant

Æqualis potentia plurium, nō regit ſed diſtrahit Orbem.

unum

unum, acervus est, confusio est, sic regna & imperia sunt unitates morales beneficio subalternationis: Ita demum fit corpus Politicum motibus suis gaudens, sanum, robustum, activum, amicis amandum, hostibus metuendum. Vbi verò pars aliqua desciverit, à functione sua humore exotico affecta, ita, vt cesset à functione sua vel in toto vel, in parte; Morbum Reipublicæ indicat, quo conflictatur Politicum Corpus. Et nisi prudens adsit consilium & medela, sequitur interitus. Vix enim invenies morbum aliquem in corpore Physico, qui idem ipse non reperiatur in Politico: Nonne Epilepticæ convulsiones legum? nonne febriles ex contentiobus æstûs. Nonne Paralitica segnities, nullusq; malorum sensus, aut perniciosus ad pericula lethargus, nonne ignis sacer extincto naturali in Patriam amore, & cætera morborum genera reperiuntur in politicis corporibus. Quid de mania Magnatum, quid de phrænesi Populi, quid de furore militari, qui non raró corripit

Morbus & interitus ab vno pendet.

Morbi Regnorum.

Politicum corpus, dicendum est? Revolve historias, & disces vel ab experimento capies evidentiam.

Moralis vita consistit in actionibus honestis.

Quæ de corpore Politico, hæc de morali vita tua dicendum putes, hæc quoq; consistit in virtutibus nobilioribus, in actionibus honestis, hæc habet suos morbos, ni affectus affectui subsit, ni honesto subalternetur vtile, ni recto subsit volupè.

PRÆCEPTUM SECUNDUM
De Diphtongis.

Diphtongus vnionis & concordiæ parat Regnis felicitatẽ & diuturnitatem.

Diphtongus oritur ex duabus vocalibus simul iunctis, efficitque longum sonum, & tempus tale acquirit, quale non habuerunt illæ vocales, dum singulæ essent. Hanc legem unitatis & concordiæ in Christiana Grammatica plurimùm commendari. Vbi amor Dei & amor proximi sunt tanquã duæ vocales in diphtongum iunctæ, merenturq; non solùm longum tempus, sed & æternitatem. Ex hoc præcepto de diphtongo gemini amores pendent, leges & prophetæ,

phetæ , nec est quod diphtongum eiusmodi abbreviat. Ex hoc diphtongo longa æternitas, longa felicitas, longa vita, longa series benedictionum cæli promanat.

In Politicis verò, diphtongus fit ex coniunctione Magnatum idem pro Republica Patrijsq; Legibus sentientium, qui diphtongus efficit longas ac perpetuas Reipublicæ stabilitates, tranquillitates, quæ diphtongus non timet hostilem correptionem, ex vnitate animorum, ex Civili concordia.

Stabilis Respub: vbi Civium iungatur concordia.

In morali tua vita cum honestatis & rectitudinis vocali, cura ut facias diphtongum, facies autem, si animum tuum seriò illis adiunxeris ita, vt nonnisi vnum cum pietate & rectitudine reddat vbiq; sonum, tum temporis longam memoriam tui relinquis. Nec Deus nec homo habebit, cur corripiat vocalem vitæ tuæ cum virtute in diphtongum transeuntem.

PRÆCEPTUM TERTIUM
De Positione.

Conso-nus Religioni Catholicæ animus firmat Status & Regna.

VT vocalis ante duas consonantes posita, est longa, acquiritq; positionem firmam à nullo debilitandam: Sic vocalis Conscientiæ tuæ, vbi se adiunxerit consonantibus de Religione Catholica sæculis, consonantibus de vera pietate legibus, acquiret firmissimã, coram Deo & hominibus positionem, ita ut in æternum non commovebitur. Cavebis ergo vnam alicuius Heresiarchæ vel Sophistæ consonantem, quæ firmam positionem dare nequit; vix vnius sæculi doctrina alicuius Novatoris, debilitabit hæc, non reddet firmam positionem tuam, si post tot Apostolorum & Doctorum testimonia, Martyrum gloriosos agones, sæculorum tractus, de fide Catholica dubitaveris, unius Novatiani Neòterici captus Sophismatibus, irretitus subtilitatibus, allectus novitatibus, à firma tot consonantium positione, disputatione quodammodò recedere præsumpseris;

ris. Vide quam debiles sunt illi, qui una consonante fulti in Orbem pro dierunt turbatores magis quàm Do ctores. Fuit tempus quo se Orbis terrarum Arrianum mirabatur, sed breve hoc tempus erat. Fuit, quo Nestoriani, Monotellitæ, Eutichiani, Donatistæ, Manichæi, Sabelliani, Antropophagij, Pelagiani, & penultimò ac vltimâ ætate Viclefij in Anglia, Hussij in Bohemia, Lutheri in Germania, Calvini in Gallia, Zvingliani, Ecolampadij in Helvetia, Servatiani, Anabaptistæ in Vngaria, sæviebant in animas fidelium, quàm brevia sunt eorum tempora, vides; Sectatores illorum vix iam nomina antesignanorum retinent, à doctrina multùm recesserunt, eritq; tempus, quo nec vestigia quidem supererunt. Doctrina verò illa & templum, quod ædificatum est super petram, vbi Spiritus S. ad consumationem sæculi supremam servat dictaturam, permanebit & ridebit in interitu Novitatis damnosæ.

Nõ diu durant Novatorum sectæ.

In Politicis acquiritur firma status positio, vbi vocalem Principem

 &

Firma est Status posi tio cum Principem plures sequuntur.

& Magistratum suum plures sequuntur consonantiæ, vbi consonare debent, vocales esse non quærunt, legitimæ potestati non contradicunt; ijs, quos experientia publica, applicatio circa res statûs & dignitas fecit vocales, non obstrepunt damnosa dissonantia, sed expectent, donec & ipsi maturescant, & in numerum vocalium recipiantur. Interim consonantiam in gratiam firmæ positionis politici statûs servent, seu domi in Consilijs, seu foris in Castris. Hanc firmitudinem positionis præstat etiam litera I vocalibus interiecta. Hæc litera est omnium vocalium altissima, est plerumq; imperativa, quasi ad imperium nata; est triumphans cum formet vocem exultantis Io, hæc litera nostrum nunc feliciter occupat thronum, imperat feliciter, & Orbis Christiani inchoavit triumphos lõgâ serie sequentes. Est Serenissimis Vocalibus per colligationem interiecta, quomodò non firmissimam gloriæ suæ Regnorum Confæderatorum faciet positionem? Hinc A, augusta Vocalis,

I vocalis ad imperiũ nata facit triumphale Io!

calis, inde V victoriosum terrâq; mariq; assistit: Ergo restat per agendam firmitudinem positiones Statûs Nostri, vt vocales Senatus, vocales vocis liberæ, fido corde & animo eidem assistant, quem Augusta Austriacorum, & victoriosa Venetorum Vocales fido complectuntur fædere.

Præceptum Quartum De Derivatione.

PRosodia latina docet derivativa eandem conservare quantitatem temporis, quàm à primitivis suis accepere. Hoc eodem præcepto nititur Christiana Prosodia, dum requirit, ut potiùs æternam durationem, quâ Primitivum Nostrum Devs gaudet, curemus, & quæramus, & conservemus, quàm transitorium tempus mundi huius, cuius figura præterit. Cum enim primum est Nostrum Derivativum anima, ab æterno primitivo æterna, necessùm est, ut semper annos æternos habeat in mente. Breve vitæ nostræ spatium ut non sua, ut

Primũ Derivativum nostrum est anima.

sibi non competentia respiciat & despiciat. In Politicis verò noveris Rempublicã esse immortalitatis fundamentum, quamvis Cives mortales sint; ideoq; pessimi Civis illa vox creditur, qui Rempublicam sibi tantùm vult vivere, secum mori & sepeliri, Ideoq; in tantùm eam curat, in quantùm sibi bene est in illa. Post fata sua tanquàm non suam aspernatur. Boni è contra Cives libenter animas suas ponunt, ut vitales Patriæ conservent Spiritus, sciunt etenim Rempublicam æternitati natam, sciunt in illa se etiam post fata æternùm vivere, sive in descendente prole, sive in collaterali sangvine, sive in memoria fastis & analibus concivium suorum inserta. Vnde legem derivationis observant & Rempublicam, quâ intentione est instituta, ut sit æterna, ad eandem durationis mensuram conservant. Sic ille Vticensis Cato, ne tot egregij Cives, tanta pars Reipublicæ, amore personæ suæ mortem, oppeteret, post devictum in Affrica Scipionem, sibi ipsi vitam eripuit, quâ

Pessimꝰ Patriæ Civis, qui sibi tantùm vivere aut mori vult Patriã

subla-

ſublatâ liceret tot Civibus victoris Cæſaris tranſire ad partes. Hoc argumento Caſſius, Brutuſq; Philippicis in Campis maluit ſibi ſubtrahere vitam, quàm ſe vivente in nova diſcrimina tantam Civium & Legionum trahere multitudinem. *Amoris in Patriam exempla.* Quæ pietas in hominibus æthnicis erga bonum publicum, quod ſtudium in prolongandis Patriæ temporibus. Quis noſter amicus in corripiendis & abbreviandis Patriæ annis, dum fata Patriæ privatis præcipitamus paſſionibus, fatali illâ voce: Quid mihi cum Patria? Si in ea meliùs alij, quàm ego habeor. At Romana vox ne Græca exempla petamus, ſufficeret Confuſioni noſtræ, quæ non tam marmoribus quàm pectoribus Civium inſcribatur, Dulce & decorum pro Patria mori. *Romana vox quā tum amorem demonſtrat in Patriā.* Cum nos ne minima quæque pati volumus, nimirum ignorantes obligationes noſtras erga Patriam, quæ ſangvinem, lucem & vitam commodavit. Ergo ipſi debetur, quod ſuum eſt. Tribuit grande nomen, dignitatem, tuetur legibus opes tuas,

tuetur armis ſuis vitam tuam. Ergo in hæc omnia Ius ex conſervatione acquiſivit. Ergo ipſi debes omnia. Patria continet ſacroſanctam fidem, cultûs Divini exercitia, tot Civium myriades. Ergo pluris hæc ſunt facienda, quàm te vnum, quàm prætenſam tuam iniuriam, quàm opinionem tuam, quâ te læſum ab hoc vel ab alio arbitraris, & vt vindictam expleas in fratrem, in Concivem, Matrem ceu alter Nero petis, Rempublicam perimis, Iura eius confundis, hoſti inermem obijcis redivivus Gracchus per ſeditiones. Cures ergo, vt quemadmodùm primitiva intentio eorum, qui Rempublicam fundarunt, fuit, ut Cives mortales Reſpublica immortalis eſſet. Hanc intentionem lege derivativorum conſervare ſtudeas. Honora Matrem tuam Rempublicam, ut ſis & tu longævus ſuper terram. Maturè intelligas velim, quanta ignominia eſt Patriæ ſuæ ſuperſtitem agere Civem, vide Cigaṇios vagos, vide Iudæos diſperſos, quàm contemptibiles ſunt, qui pro

Pluris facienda Patria, quã privata Fortuna.

Extra Patriã vivere quàm ignominioſum.

Patria

Patria & cũ Patria emori recusarunt, Saguntхinos & tot aliorum Civitatum incolas, qui vno cum Patria sepulchro iacent; Non est cur apelles mortuos, vivunt illi in exemplis sæculorum eâ lege, quâ non tumulantur cum cineribus ingentes animi, neq; idem gloriæ sepulchrum quod corporum.

Præceptum de Incrementis.

TVm nominum quàm verborum incrementa curat prolongare facit Prosodia Latina; Eadem non negligit & Christiana: Etenim promovet incrementa pietatis, rectitudinis, virtutumq; Christianarum & moralium augmenta, quæ brevia omnino essent, nisi enim crescat virtus per continua exercitia, necessùm est, ut decrescat intermissione. Crescimus ætate, crescimus staturâ, crescimus robore; crescimus fortunis; ergo & virtutibus crescere debemus, cum hoc sit primum incrementum,

Crescendum nõ solùm ætate & opibus, sed & virtutibus.

à quo reliqua procedunt. In virtutum incremento benedictio Dei sita est, quibus autem Deus benedicit, ijs omnia prosperantur in bonum. Hinc si videris conatus tuos minimè prosperari post impensos labores, omnia potiùs decrescere, scito benedictionem Dei tum procul ab operibus tuis esse, quàm remotus tu es ab exercitio virtutum Christianarum: *Nam nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laborat, qui ædificat eam*; Et nisi cum Iove manum moveas, frustra lassaris;

à Pietatis incremento auges est Fortunæ.

à pietatis ergo incrementis augmentum rerum tuarum necessum est, ut speres; Ita ut quemadmodùm desidiâ morali omnia consumuntur, ita ignaviâ spirituali omnia intereunt. Cum enim Deus te in dies augeat beneficijs, tu autem eius gloriam non auges continuatis virtutibus; Iustus est, ut ab ingrato tollat beneficia.

Gentiles nil aggressi sine præmissis

Respice Gentiles ad veri Dei cognitionem non admissos, attamen nihil prosperum se agere credebant, nisi præmissis Sacrificijs, nisi indictis pietatis exercitijs & incrementis: Da-

bat

bat ipsis Deus prospera incrementa, ut remuneraretur temporalibus oblationibus temporalia. Quantò magis nos cum illis Sanctis Imperatoribus & Regibus, tenemur omnia à pietate ordiri, ut incrementa nominis & actionum nostrarum à Remuneratore Deo reportemus. Vide Iagellonem nostrum ad Grunevaldium instantiũ hostium metu & ignominiosâ provocatione minime abduci, ut continuationem Sacrificij Missæ abrumperet! misit ad illum Theutonici Ordinis Magister duos enses, exprobrans, segnitiem, quòd tardiùs in aciem prodiret; & si non haberet ferrum, quo pugnaret, ecce gladios pro se & fratre suo Magistrum submittere. Si verò deesset locus explicandis copijs, Theutonicos exercitus retrogradatione, tantùm quantùm sufficeret campi daturos. Respondit Rex Causam moræ non aliam esse, nisi quòd Domino Exercituum debitum persolveret Cultum, in cuius propitio Numine sperare se, vt missos gladios in omen vertat, signumq; deditionis, retrograda-

Sacrificijs, & pietatis exercitio.

Insigne pietatis exemplũ in Iagellone.

gradationem verò in præſagium fugæ accipiat. Reſpondit votis effectus. Dedit Deus ingentia gloriæ incrementa Regi, qui priùs augere pietatem, quàm gloriam maluit, Crucigeri quadraginta millibus hominum unà cum Magiſtro amiſſis, Margenburgum profugi, Regiq; victori ſupplices per Plavenium novum Magiſtrum agnoverunt culpam, agnoverunt reatus ſuos in Deum, indeq; faſſi caſtigatam ſuperbiam ſuam à Numine, clementiam & pacem à Rege petierunt. Rex optimus votis annuere cupiebat, ſed quia Conſiliariorum ferocia ſecundis ſumens audaciam ex rebus, maluit victoriæ incrementum, quàm pietatis & miſericordiæ: Ideò verſa rerum facies, irrito à Margenburgo receſſum conatu, inq; plurimos annos diſtractum bellum, tot calamitatibus inſigne.

Crucigerorum clades.

Præceptum de Patronimicis.

PAtronimica Nomina, curat Grammatica Latina. Hæc eadem non

negligit

negligit & Christiana, sed nominibus Patronimicis virtutes patronimicas ita inserit, ut sine his illa minimè curet & æstimet; Imò cum magno Macedone ad illos, qui Patronimico nomine sine re superbiunt, clamat: aut mores muta, aut Nomen. Patrem sonamus Deum ex doctrina Christi, quod si paternas eius leges, paternum eius amorem, paterna eius iussa, beneficia non curamus, invanum assumimus nomen tam grande, quàm grande irritamentum est optimo Patri, vocari ab eo Pater, qui non modo filius non est, nec servus sed acerrimus hostis, proditor, in contraria Castra diaboli & superbiæ eius abiens; signa Paterna, quibus in baptismo se obligavit, fidem & fidelitatem promisit, nefario deserens ausu, ita fit ut qui Patrem Deum habere noluit, severum Iudicem & vindicem est habiturus, qui Patronimicum quotidie ore solebat proferre nomen; Opere autem illud refutavit, punietur ut hypocryta. De tali dicit Deus: *labijs me honorat, cor eius procul est à me.* Ergo

Patronimicis Nominibus Patronimicæ virtutes inscribendæ.

Frustrà Deum vocas Patrem cuius filium te non demonstras.

tem-

tempeſtivè conſidera Grammatice Christiane, quantæ iacturæ eſt, & erit in die iudicij patronimicum hoc Divinum non curaſſe, per cuius neglectum Patrimonium tuum, quod tibi in beata æternitate paratum eſt, amittere, & in regno umbræ mortis, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror habitat, triſtem per calamitoſam æternitatem, agere incolatum.

Per neglectum Divini Patronimici, æternũ Patrimonium amittitur.

In Politicis curæ nobis eſſe debent Patronimica Nomina & Virtutes, ita enim à ſæculis creditum, quòd avorum & atavorum virtutes propter ſangvinis temperiem & propenſionem deriventur in ſeros nepotes. Sic Romæ evertendis hoſtium Vrbibus fatale poſt Carthaginem & Numantiam habebatur Scipionum nomen; Sic defendendæ Reipublicæ contra hoſtes cura ſpecialis Fabijs ineſſe credita; Sic authores libertatis Bruti ſemper habiti: Adeò Patronimica nomina & virtutes credebantur deſcendere in poſteros non ſolùm ex ſangvine, ſed etiam ex adoptione, cum enim quiſpiam illorum virorum natura ne-

Atavorum virtutes in Nepotes deriventur.

câ negante, aut velut laſſatâ, degenerante digno careret ſucceſſore, adoptabant ſibi in filios erectiores indoles earum familiarum, quæ numero prolis laborabant. Hâc Patronimicorum curâ conſervabantur, multis ſæculis, avitæ virtutes, excitabantur ad imitamenta maiorum Succeſſores. Vbi verò ſtudium Patronimicorum deferbuit, Plebeijs ad Reipublicæ adminiſtrationem, vel externis hominibus admiſſis, æmulationibus concuſſa Civitas, demùm diſcordijs, tandem Civilibus bellis Vrbis & Orbis amiſit imperium, eoq; ventum eſt, ut diceretur palam: Nil præter nomen habet Romanus Alumnus; Exciſâ Nobilitate, mutuis cladibus remotæ, & barbaræ Gentes, Civitate & Romano nomine donatæ.

Roma Vrbis & Orbis amiſit imperium ob neglectum Patronimicorum ſtudiũ.

Patronimica ergo Nomina debent eſſe à virtute, non à paludamento & faſcibus; Cum hæc inſignia priùs eſſent virtutis, tandem facta ſunt fortunæ, dum ex favore, ex inclinatione vel fato Reipublicæ darentur, ita ut eſſet tempus, ut Lucij, qui frica-

Nomina Patronimica à virtute ſint, nõ a faſcibus.

bant mulos, consulari postea splendérent potestate, imò equi ipsi per insaniam quorundam Imperatorum, & contemptum Reipublicæ ad hanc videbantur promoti dignitatem. Adeò fallax est virtutis argumentum dignitas patronimica, nisi virtutes avitæ adsint. Cum autem omnis virtus in actione est limitata, sensim exolescit in posteris, nisi novo fermento sangvis erigatur, quod fiet, si fortis avitarum virtutum adsit imaginatio, cum voluntate efficaci, eadem agendi. Nam si Iulij Cæsaris Segnitiem iuvenilem visa Gadibus Alexandri Magni imago, ad ingentes accenderit ausus, quomodò avorum & atavorum imagines seu memorativæ seu pictæ, seu scriptæ non accendent hominem? qui crediderit, nihil sibi prodesse nomen magnum, nisi magnis virtutibus sociatum.

Segnitiem Iulij Cæsaris iuvenilẽ, imago Alexandri ad ingentes accendit ausus.

Hoc exemplo accendantur etiam illi, qui nondum avitas habent imagines, non quòd omnino non habeant, nam quis est parvus, qui non ex magnis descendat? quis magnus qui

non

non ex parvis ducat originem, sed ut horum parvitas obliterata non venit in censum, nisi præsens, ita horum magnitudo vbi cum sæculo suo præterierit, inter minora recensebitur. Possunt tamen quotidianâ monstrante experientiâ, proposito sibi magnorum virorum exemplo, eos imitari non à sangvine sed ab exemplo, ita ut faciant ipsi patronimica suæ familiæ, quæ non acceperunt ab alijs, glorienturq; cum Mario: maioris esse existimationis sibi dedisse magnitudinem, quàm ab alio accepisse.

Viri magni proponas tibi exempla, quæ imiteris.

Ad Patronimica pertinent Gentium & Populorum differentes complexiones: Vt enim diversitate clymatum superus Orbis distingvitur; sic & terra eidem subiacet diversitati, in tantùm, ut quemadmodùm hæc regio eius gustus & saporis generat fructus, nutrit animalia, cum alia regio diversa ab his & alterius saporis producat; Ita & homines diversæ Complexionis, diversorum morum, necesse est, ut habeat. Hominum etenim corpora clymatis temperie af-

Animæ inter se non differunt speciè, diversimode tamen operantur, ad corporũ differentiam.

ficiuntur, & quamvis animæ inter se non differant, diversimodè tamen operantur propter corporum id est organorum & instrumentorum differentiam. Hinc necessum est habere semper in anima illam reflexionem, quòd Patronimica cuilibet legenti inest in actione & moribus diversitas: Quamvis lepidè non tamen procul à verò dixit ille, qui Hispanicam linguam Iudicibus pro Sententiarum gravitate competere, Italicam passionatis hominibus ad movendos affectus humanos aptam, Gallicam pro mulcendis auribus suavem, Germanicam pro arguendis defectibus acrem. Vnus verò Magnorum Imperatorum dicebat: Orbem terrarum se subigere posse, si talem haberet militem, cuius pedes essent Hispani cedere nescij, cuius pectus esset Germanum ad ictus impavidum, cuius brachium esset Gallicum ad motum vehemens, cuius caput esset Italum belli momenta intelligens. Ita nimirum admirandâ Dei providentiâ gubernante factum est, vt omnia vni Genti minime

Grave vnius Imperatoris dictum.

mè dederit, ne vniversa opprimeret, sed potius distributis perfectionibus & defectibus temperat vniversum. Insuper sciendum est eâdem Dei providentiâ factum, ut & inter Hispanos reperiantur Galli, & inter Italos Germana ingenia, ne forte nimia diversitate Gentium continua foverentur odia. Adeo temperata sunt omnia lege incomprehensibilis prudentiæ Dei. His suppositis Christianam, politicam, Moralemq; facies reflexionem: Christianam, ut scias diversitatem morum & humorum à Deo Authore institutam esse propter fines excellentissimos. Inter quos habet locum materia meriti, ut nimirum, unus alterius onera supportemus in Charitate, vt hilaris supportet tristiorem, tristior non incenietur festiviori, tardus non damnet agilitatem alterius, agilis non despiciat tarditatem, quâ ingenio, quà corpore, bene conscius, quod diversitas ista Generi humano sit benifica, quà in publico qua in privato; quòd hæc diversitas etiam in cælis inveniatur;

VniGenti non omnia concessa.

Diversitas morum & humorum à Deo est.

inq;

inq; tot choros spirituales distingvit creaturas, Angelos, Archangelos, Cherubin, Seraphin, Virtutes, Dominationes, Thronos, & Potestates, Politicam Reflexionem facies, quòd ista diversitas necessaria est diversissimis necessitatibus & Reipublicæ temporibus; ex hac ingeniorum diversitate, alij ad divina tractanda, alij ad humana sunt aptiores, hi in sago, illi in toga præcellentes, hi ad hæc, illi ad alia artificia proni, ex omnibus tam diversis, vna consurgit Reipublicæ felicitas.

Ex diversitate ingeniorum felicitas Reipub: consurgit.

Moralem sumes doctrinam vel ex eo, quòd necessùm est, vt te in omnibus exerceas virtutibus: dum cum elato animo rem habes, exerceas te in humilitate: ut ipsi placeas; dum cum furioso tibi est negotium, induas mansvetudinem, quâ furorem alienum mitiges; dum tibi res cum Ioviali, temperes tuam mæstitiam, ne offendas quasi exprobrans; dum tibi tractandum cum Melancholico, exerceas te in eo, quòd naturalis Melancholici suspiciones á te amoveat. Vn-

Antidota passionum.

de vides, quanta bona efficiat Patronimica in Gentibus, in Nationibus, in Concivibus, in Consodalibus & amicis tuis humorum morumq; diversitas, hanc si sustuleris, tolles virtutum exercitium. Si enim omnes tuæ essent complexionis, tuorum morum, nemo esset, qui te de vitio corriperet, qui te de virtute laudaret. Nil differres à brutis animantibus, quæ vniformem intra speciem suam naturæ sequuntur instinctum. Nemo te offenderet dicto factoq;, sic nescires quid sit patientia, sic non esset, cui dimitteres propter Deum, tuam iniuriam. Sic de similibus virtutibus. Hæc si maturè consideraveris, crede mihi à multis in vita liberaberis molestijs, in tantùm; ut quemadmodùm lapidi desuper cadenti non irasceris, quia lapis naturaliter deorsum fertur, sed potius tibi, quòd incautus illum locum ruinæ proximum subiveris; Ita tantopere non turbaberis, si te levitate sua afficiet sangvineus, Satyrico proscindet verbo vitiosus, vocabit in suspicionem melancholicus, virtu-

Patronimica, quanta bona efficiant in Gentibus.

ti tuæ non aſſurget phlegmaticus, ſed potiùs tibi ſuccenſebis, quod non cautè cum igne, qui urit, cum aqua quæ mergit, proceſſeris, minime rerum naturæ iraſcendo. Sed quia Incrementa virtutum, fortunarum, & omnium acceſſibilium invidiam excitant, meritò dicendum nobis eſt de hoc noſtro malo orto ex alieno bono.

Aliena incrementa ægris aſpicimus oculis.

Proprius amor id noſter agit, vt per ſummam iniuſtitiam ſolus quilibet eminere deſideret, vnde aliena Incrementa, quæ nobis alios æquant, vel ſupra nos elevant, ægris aſpicimus oculis. Amor ut diximus proprius excæcat; ita ut hunc cæcum amorem ſequatur ſuperbia: cum enim hoc proprio amore capti, ad inſtar cæcorum, nihil videmus, niſi noſmet ipſos, nihil æſtimamus, niſi facta & merita noſtra, dotes naturæ & fortunæ, quas in nobis cernimus; ferre non poſſumus hoc, quòd videre nolumus; Ideoq; incrementa alterius felicitatis excitant in nobis dormientem invidiam, quæ ferali igne depaſcit viſcera noſtra, eſtq; hoc malum ferè

Invidiæ fomes alienum bonum.

vni-

vnicum, quod tibi non alijs nocet, ibi, vbi nata est, desævit, & nisi alia mala in te excitet, alijs nociva, vt est calumnia, dolus, vindicta, salvo per omnia eo, cui invides, te genitorem suum invidia consumet. Huic malo remedium primũ sumes, si incrementa aliena in te æmulationem provocabunt, ad pares virtutes, ad paria facta, ad similitudinem gestorum & meritorum, quàm æmulationem, si habuisset Caim, non vtiq; excitasset erga fratrem invidiam, quæ ipsi peperit nefandum fratricidium. Secundo: si incrementa aliena credas oriri à benedictione Dei, quam tu nondum meruisti, credas provenire à virtutibus, quas nondum possides. Credas provenire ab activitate, quæ alteri tum inest, cum tu otio inerti torpescis. Si credideris ita communem Patrem omnium Deum statuisse, ut hic frater tuus sit te maior, tu verò maneas minor. Ergo divinæ dispositioni resistere time. Non invides quod aliquis ante te natus sit. Cur ergo invides, quod alter tibi antepositus est?

Remedia invidiæ.

 Nulli

Nulli ſtaturam altiorem, nulli ſanitatem robuſtiorem, nulli dotes naturæ præſtantiores, tanto cum motu invides, quanta cum indignatione, modica fortunæ alienæ vides incrementa. Tandem à fine invidiam tuam accipe, telum eſt contra teipſum verſum, ignis eſt intus conceptus viſceribus, interna tabes tua eſt livor, qui te decolorat, qui tibi ipſi ſemper nocere non ceſſabit.





Ex libris Mich. Ant.

~~Pigtowski~~

~~Ex libris Mich.~~ Ant. Pigt

